The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.



DE
SEXTO ET NONO
DECALOGI PRÆCEPTO

ET

DE USU MATRIMONII

TRACTATUS THEORICO-PRACTICUS

CUI PRAEMITTITUR

SYNOPSIS DE REBUS PHYSIOLOGICIS

AUCTORE

IOSEPHO ALBERTI

S. THEOLOGIAE ET UTRIUSQUE IURIS DOCTORE

AUDITORE S. R. ROTAE

OPUS CONCINNATUM

AD USUM ETIAM SEMINARIORUM

EDITIO ALTERA

ACCURATIOR ET VALDE AUCTA

WITHDRAWN
The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

ROMAE

Ex Officina Polygraphica Editrice

Piazza della Pigna. 53

1914

BX 2267

AUCTOR SIBI VINDICAT IUS PROPRIETATIS

NOTIONES PHYSIOLOGICAE

PRAEVIAE TRACTATUI [1]

Praenotanda. — Notiones *scientiae physiologicae*, quas tractatui praemitto, non solum utiles, sed etiam necessarias scitu esse duco, ut multiplices ac saepe implexae quaestiones circa materiam *de sexto* recte solvantur. Insuper utiles ac necessariae sunt ut confessarius suo munere etiam in hac parte rite fungi, atque scandala et sacrilegia in tribunali poenitentiae impedire valeat. Scilicet necesse est confessarium haec et similia bene ac recte noscere, ut ex ipsis primis verbis poenitentis statim scire possit de quo agatur, quin se exponat periculo faciendi interrogationes imprudentes, quae saepe adultis, saepissime adolescentibus ac puellis occasionem praebent addiscendi quae adhuc ignorant, eaque ad praxim dein traducendi. Lugendum vero est quod in scholis ordinarie omittatur haec alumnos sacerdotes edocere, qui dein ea vel nunquam, vel erronee, aut super-

[1] In tradendis notionibus physiologicis, quas tractatui praemitto, prae oculis habui etiam doctrinam recentiorum *physiologorum*, praesertim praeclara opera *Antonelli*, Medic. Past.; *Eschbach*, Disputat. physio-theol.; *Çapellmann*, Medic. Past.; *Gemelli*, op. « Non moech. »; *Descuret*, Medic. delle pass., etc.

ficialiter per seipsos addiscent: ex quo quanta mala consequi possint, nemo non videt. Qui igitur sacrum ministerium in tribunali poenitentiae cum fructu in hac etiam parte exercere vult, scrupulos et vanum timorem abiiciat oportet. Meminerit vero verba Clementis Alexandrini: « *Ad auditorum utilitatem nominasse* (itemque addiscere) *turpe non erit, quae Deum fabricare non puduit* ».

DE ORGANIS ET ELEMENTIS ESSENTIALIBUS GENERATIONI HUMANAE.

1. — Organa et elementa ex parte maris.

I. — **Membrum virile**, quod est organum copulae. Constat duabus partibus, quae dicuntur *corpora cavernosa*, et quae inserviunt ad membri erectionem, mediante affluxu sanguinis (*arteriosi*) innumeras eorum cellulas permeantis ac replentis. Sub his situs est canalis, qui dicitur *uretra*, cuius officium est emittere urinam, et iaculari semen. Ex quo patet uretram esse canalem communem tum vesiculae urinariae, tum vesiculis seminariis (de quibus infra).

Ubi vero uretra utrisque vesiculis evadit communis, idest prope illius initium, sita est glandula, cui nomen *prostata*, quae uretram externe amplectens, humorem prostaticum per plura foramina in eamdem immittit.

Subtus, non longe a *prostata*, sitae sunt ad latera uretrae aliae binae glandulae, quae ab inventore Cowper, appellantur *Cowperianae*, et quae, non secus ac glandula prostatica, humorem intro uretram emittunt. Omnes praefati humores officium habent mollem servandi uretram, atque semen, utpote substantiam subviscidam, diluendi, ut facilius in coitu iaculetur. Iidem humores aliquando in membri ere-

ctione extra defluunt, et tunc habetur illud, quod theologi *distillationem* appellant.

Extremitas membri virilis *glans* dicitur, in cuius medio uretra aperitur, et qui tegitur quodam involucro, minime eidem adhaerente, cui nomen *praeputium*.

Membrum virile appellatur etiam *virga, penis, mentula, veretrum*.

II. — **Testiculi** [1] (graece δίδυμοι), seu bina corpuscula ovoida, quae in quodam externo *involucro*, seu *bursa*, membro virili supposita, ad invicem separata, continentur. Sunt verae glandulae, substantia omnino peculiari constantes, in quibus originem habent alia corpuscula, quibus nomen *nemaspermata*, et quae efformant praecipuum elementum *spermatis*, seu seminis virilis, et necessaria atque essentialia sunt ad foecundationem. Quare semen, quod careat nemaspermatibus, *verum* semen dici non potest.

Nemaspermata constant parte maiore, cui nomen *caput*;

---

[1] *Testiculi* ideo sic appellantur, quia de virilitate testantur. Imo *testiculi*, ut animadvertit Eschbach, utpote necessarii opifices seminis, virilitatem efficiunt, quatenus semen ab ipsis elaboratum, si mediante absorptione, in substantiam individui convertatur, *energiam* generat; seu tum corporis, tum intellectus, tum voluntatis virtutem, qua masculus a foemina communiter discernitur, gignit. Hinc recte Hippocrates et Galenus aiebant: « *A testiculis virtus toti corpori praeparatur* ». Proinde defectus elaborationis seminis ut in eunuchis, vel eius dispersio corpus effoeminatum ac debile efficit. Praestat igitur etiam ex hoc capite pollutiones evitare; quemadmodum expedit ut quis matrimonium non ineat, nisi cum perfectam corporis physici evolutionem assecutus sit. Cfr. l. c., pag. 35. Hinc etiam cavendum est ne per *femoralia* testiculi comprimantur, aut canales (de quibus infra) semen ad vesiculas seminarias deferentes mediante zona circa lumbos nimis constricta a sua functione naturali peragenda praepediantur. Cavendum tandem a vita nimis sedentaria, quae certe eadem incommoda secumfert; ideo vita sedentaria cum motu corporali alternanda est.

et filamento quodam subtili, quod producit motum, et dicitur *cauda*. A veteribus anatomicis appellabantur *zoospermata*, seu animalia spermatica ; sed hodie certum est praeter motum nihil habere commune cum animalibus, et sunt verae *cellulae* [1].

Etiam *semen* [2] in testiculis conficitur, ex quibus per canales deferentes ascendit ad binas vesiculas seminarias, sitas inter vesiculam urinariam et intestinum rectum, ibique colligitur et asservatur, donec per canales iaculatorios, qui uretram ingrediuntur, emittatur. Ex quo patet semen haud derivare immediate in sua emissione e testiculis, sed e praefatis vesiculis seminariis. Cum vero harum extremitates angustissimo meatu aperiantur, fit ut semen extra eiaculari non possit sponte, sed nisu quodam, seu vesicularum compressione, repletione, irritatione opus sit. Ex dictis sequitur, quod, si vir sectionem (*vasectomiam*) amborum canalium semen ad vesiculas seminarias deferentium patiatur, vel si ambos canales sive deferentes sive iaculatorios perpetuo occlusos habeat, impotentia laboret ad generandum. Quae quidem valent etiam relate ad perfecte eunuchos, seu ad eos qui *utroque* testiculo orbati sunt.

Testiculi ordinarie incipiunt conficere semen *prolificum*, seu nemaspermatibus praeditum, a tempore pubertatis, quod physiologice transcurrit a 13 usque ad 16 aetatis annum. Elaboratio seminis semel incoepta perdurat usque ad se-

---

[1] Antonelli, l. c., vol. I, n. 187.

[2] Semen virile (quod appellatur etiam *sperma*) est substantia liquida, colore albido, aliquantulum densa, et odore alliaceo particulari. Constat 900 ‰ aqua, et parte speciali organica, cui nomen *spermina*, et cui praefatus odor debetur. Huiusmodi liquidum provenit partim e vesiculis seminariis, partim a diversis glandulis, quae occurrunt in viis, per quas semen in sua emissione transit. In eodem natant *nemaspermata*. Cfr. Antonelli, l. c.

nectutem [1]. Plura vero sunt, ait Eschbach, « sub quorum influxu apud iuvenem et virum organa abundatiorem operam navant; imo, iuxta d. Kölliker aliosque, nisi venereis cogitationibus atque desideriis genitalia in viro excitentur, in his spermatis confectio vel cessaret ex toto, vel saltem nonnisi ad salvandam virilem energiam procederet » [2]. Haec tamen assertio prorsus *gratuita* videtur.

Semen *nunquam corrumpitur*,[3] sed vel servatur integrum in vesiculis seminariis; vel, si superabundans sit, et non inserviat ad generationem, partim resorbetur, et partim expellitur sponte, praesertim noctu, per pollutiones.

Ad generationem satis est *unus* testiculus; quemadmodum sufficit vel *unum* nemasperma. Privatio aut ablatio utriusque testiculi inhabilitatem ad generationem *perpetuo* secumfert; attamen possibilis est copula etiam perfecta, et sensus venereae voluptatis, quamquam non completae ob pollutionis defectum.

2. — **Organa et elementa ex parte foeminae.**

I. — **Ovaria**: seu binae glandulae ad latera uteri sitae, quarum officium est conficere *ovulum*, ex quo post foecundationem novus efformatur homo. Singula ovula (formam *sphericam* praeseferentia) suas habent *cellulas*, seu *vesiculas*, quae duodecimo circiter anno successive crescere ac maturescere incipiunt. Hae vesiculae tempore maturitatis centimetrum diametri saepe attingunt, interdum ad volumen nucis

---

[1] Facta, ait Topai, quam maxime favent potentiae generativae asserendae in viro usque ad 100 aetatis annos.

[2] Cfr. l. c., pag. 35.

[3] Id omnes *moderni* physiologi docent contra *antiquos*, putantes semen, dum in vesiculis seminariis manet, in materiam corruptam vel venenosam transire posse.

perveniunt. Ovulum vero, etsi iam maturum, quintam vel sextam millimetri partem tantum attingit; ac sub hoc minusculo volumine ovarium deserit, ac in uterum descendit.

Ovulum est *elementum essentiale* procreationis in muliere. Hinc *ovulum* in muliere recte aequiparatur *nemaspermati* aut semini in viro; et *ovaria testiculis,* adeo ut ea etiam *testes muliebres* dicantur.

Cum ovulum in sinu matris foveri debeat, novoque foetui mater alimentum praestet, neque corticem, neque albumen habet. Constat autem *protoplasmate*, cui nomen *vitellus*, subtili membrana externa incluso. Intus habet nucleum, quod appellatur *vesicula germinativa*, maculam germinativam continens.

Foemina usque a nativitate in se continet innumera ovula, adeo ut plura ovulorum millia apud unam eamdemque puellulam enumerari possint.

Certum vero est ovulationem seu operationem, qua ovula in ovariis crescunt, a tubis *falloppianis* hauriuntur, ac in uterum perveniunt, esse spontaneam, et naturaliter obtineri citra stimulum ac irritationem veneream, quamvis saepe contingat ex venerea irritatione ovulum *citius* maturescere, aut maturum ab ovario decidi.

II. — **Tubae falloppianae**, seu oviductus, sunt duo canales angusti, siti inter ovaria et uterum, per quos suo tempore in uteri cavitatem ovulum descendit. Earum extremitates inferiores communicant cum utero, sed superiores, terminantes in formam tubae fimbriatae, sunt liberae, et tunc solum, cum ovulum iam est maturum, modo prorsus inexplicabili, se erigunt, ovaria amplectuntur, et ex his ovulum hauriunt, et intro sese trahunt.

Ovulum in tubas introductum lento gradu progreditur erga uteri cavitatem, adeo ut credatur nonnisi post unam vel etiam plures horas in uterum pervenire, ubi, si foecun-

datum fuerit, sistit; secus foras per vaginam emittitur. Interdum praefata tubarum functio deficit, et tunc ovulum vel manet in ovariis, vel in abdomen decidit.

In tubis falloppianis *ordinarie* fit occursus inter ovulum et nemaspermata, ideoque ibi accidit generatio. « Ovuli foecundatio, ait Topai, in tubis ordinarie contingit. Ut occursus nemaspermatum cum ovulo effici queat, ac proinde foecundatio, oportet sperma, imo nemaspermata, scilicet elementum eius activum, in uterum penetrare, eumque pertransire, ut per tubam ovulum attingat, sicuti dictum est, et legi potest in omnibus recentioris physiologiae elucubrationibus »[1].

III. — **Uterus**, qui est locus, in quo *ordinarie* ovulum foecundatum evolvitur, situs inter vesiculam urinariam et rectum intestinum. Formam habet pyri inversi, cuius pars superior dicitur *corpus uteri*, et inferior (prominens in vaginam) dicitur *collum uteri*. In medio uteri collo parvum os aperitur, cuius officium est statuere communicationem inter uterum et vaginam. Uterus appellatur etiam *matrix*.

IV. — **Vagina**, quae coniungitur cum utero, est organum copulae, longitudinem *decimetri* circiter habens, situm inter vesiculam urinariam et rectum intestinum. Ibi deponitur semen; atque ex ea expelluntur secretiones uterinae, menstrua, foetus. Formam habet fere cylindricam, atque internas parietes valde elasticas, sed contiguas, ita ut semper clausa maneat. Inde eius maxima aptitudo ad recipiendum et retinendum semen virile, et propter magnam illius dilatationem, ad foetum expellendum. Ad latera orificii externi vaginae adsunt binae glandulae (*Bartolinii*) secernentes mucum, qui officium habet reddendi faciliorem membri virilis ingressum, et augendi voluptatem tactus.

---

[1] Cfr. op. *De necess. uteri in generat. et matrim.*, n. 13, et 48.

In *virginibus* habet in sua parte inferiore quamdam membranam, quae dicitur *hymen*, vel *velum virginale*, aut *claustrum virginitatis*. Ordinarie est resistens et perforata; interdum vero est imperforata, vel adeo elastica, ut permittat membri virilis penetrationem, quin laceretur. Ordinarie tamen abrumpitur, cum virgo primum patitur coitum, et semel lacerata iam non amplius restituitur. Hymenis lacerationem comitatur dolor et sanguinis effusio. Hymen abrumpi potest non solum per coitum, sed etiam per alias causas; ideo eius laceratio non est semper tutum indicium mulierem non esse virginem; quemadmodum e contrario hymenis integritas non semper est indicium mulierem esse virginem. Quare virginitas est res *difficillimae* probationis.

V. — **Vulva.** Huius nomine comprehenduntur omnes partes externae genitalium mulieris, seu: *magna labia*, quae resultant ex binis plicis externis pellis [1]; *parva labia*, quae constant ex parvis aliis plicis, et quae sita sunt inter magna labia, et abundant glandulis secernentibus mucum eiusdem naturae, ac *smegma* praeputii in viro; *clitoris*, habens formam penis rudimentalis absque uretra, cuius est augere voluptatem copulae; *meatus urinarius*, seu os per quod urina emittitur. — In Scripturis passim *vulva* idem est ac *uterus*.

VI. — **Mamillae.** Hae quoque inter organa genitalia merito recensentur: sunt enim, ut ait Eschbach, quasi ultimum illorum complementum, eo vel magis quia et ipsae in papillis erectionem veneream sub erotico quocumque influxu patiuntur [2].

---

[1] Haec a natura sunt ordinata non solum ad protegenda a causis externis orificia et partes infra ea exsistentes, sed etiam ad efformandos canaliculos, ut per hos semen virile in copula extra vaginam forte effusum, ad illius ostium decurrere possit, eamque ingredi.

[2] Cfr. l. c., pag. 84. — Haec tamen valent de foemina iam *pubere*. Relate ad foeminas *impuberes*, dubitari potest an mamillarum

Providens naturae auctor mamillas ad elaborandum cibum infanti necessarium, nempe *lac*, destinavit; atque illas maxima sensibilitate auxit etiam ad hoc, ut matres allicerentur ad naturale lactationis officium adimplendum: titillationes enim, quae in mamillis fiunt ab infante lac sugente, particulare gaudium dulcemque voluptatem ipsis procurant.

Lac est cibus facile princeps, quo infantes nutriri valeant. Conficitur in glandulis mamillarum, ad quas tempore lactationis sanguis abundans confluit, ex quo elementa necessaria ad lac conficiendum hauriuntur.

Lac incipit elaborari circa quintum praegnationis mensem. Altero vel tertio die a partu ubera, iam turgentia, dura fiunt, ac dolore afficiuntur, et febris, quae *a lacte* dicitur, apparet; sed post viginti quatuor horas cessat, et lac secernitur, quod ab initio est sat ineptum ad nutritionem, et inservit tantummodo ad prolem purgandam. Tempore lactationis ordinarie menstrua suspenduntur, tunc enim sanguis a natura adhibetur ad lac conficiendum. Cessata lactatione, menstrua iterum apparent.

3. — **De hermaphroditis.** — Dicuntur hermaphroditae, qui *utriusque sexus* sunt participes. Relate ad hos haec animadvertantur:

a) Hermaphroditae *perfecti*, seu qui utrumque sexum *perfectum* ac *completum* habeant, adeo ut simul foecundare et foecundari valeant, omnibus modernis *physiologis* consentientibus, exsistere non possunt. Quare veterum opinio, iuxta quam tales hermaphroditae possunt exsistere, *hodie* inter fabulas reiicitur.

b) Hermaphroditae *imperfecti*, seu qui alterum sexum

---

confricatio efficacitatem habeat veneream delectationem in ipsis excitandi.

perfectum et completum, et alterum imperfectum et incompletum vel apparentem habeant, iuxta omnes *physiologos*, dari possunt. Hermaphroditae vero apparentes dantur praesertim inter pueros, scilicet cum organa genitalia necdum plenam evolutionem assecuta sunt.

c) Quando accidat casus *hermaphroditismi*, ut dignoscatur quinam ex sexibus praevaleat, ad medicum, utpote solum iudicem competentem, recurri debet. Attamen non raro accidit, ut medici etsi peritissimi nihil decernere valeant, aut in errorem inducantur : cum enim sexus non solum ex organis externis, sed etiam ex internis dispici debeat, cumque inspectio interna corporis nonnisi post hermaphroditae mortem peragi possit, patet difficultatem haud minimam adesse in sexu praevalente certe dignoscendo. Verum si de alterutro sexu *perfecto* et *completo*, vel saltem de potentia ad generationem sufficienti constiterit, hermaphrodita non prohibetur matrimonium contrahere; attamen altero sexu quoad naturalia munia ille uti licite non potest. In casu *dubii* sexus, hermaphroditae neque licitum est (contra id quod nonnulli docuerunt et docent) eligere sexum, quo uti velit, neque ipsi permittendum est inire matrimonium, aut ss. Ordines suscipere.

Haec vero tanto magis valent, si agatur de hermaphroditis *neutralibus*, seu de iis qui non sunt neque *mas*, neque *foemina*, sed habent sexus confusos ac commixtos.

DE DISTILLATIONE.

4. — Distillatio accidit sive in *mare*, sive in *foemina*.

I. — **Ex parte maris.** — Nomine *distillationis* in mare intelligitur fluxus cuiusdam muci incoloris, qui oritur ex glandulis uretrae (cfr. superius, n. 1). Talis mucus differt prorsus a semine, quamvis ad hoc diluendum, ut eius emissio fa-

cilior reddatur, inserviat. Fluxus locum habere potest vel per eiusdem muci superabundantiam, vel per uretrae irritationem, morbum, inflammationem, etc. Aliquando coniunctus est cum quadam voluptate, aliquando minime. Accidit vel modo permanenti, vel tempore minctionis, aut alvi exonerationis. Omnes illum patiuntur sive *puberes*, etsi *senes*; sive *impuberes*, et etiam *eunuchi*. Impuberes et perfecte eunuchi per manusturbationem nonnisi praefatum mucum emittunt; minime vero semen, quo carent. Quod vero dicitur de impuberibus et de eunuchis, dicendum est etiam de iis qui *vasectomiam* passi sunt.

II. — **Ex parte foeminae.** — Nomine *distillationis* in foemina intelligitur fluxus (sive intus, sive extra genitalia) intermittens cuiusdam muci ex glandulis vaginae et vulvae (cfr. superius, n. 2, IV). Talem fluxum, etsi sponte oriatur, comitatur genitalium erectio atque venerea voluptas. Potest habere locum per causas sive *directas*, puta per fricationem praedictarum partium; sive *indirectas*, puta per turpes cogitationes, etc.; et quidem tempore tum vigiliae, tum somni. Hunc fluxum veteres *seminationem foemineam* appellabant, putantes fieri ad instar seminationis in viro: quae opinio hodie explosa est.

Distillatio foeminea, quae accidit dum peragitur coitus, licet non sit necessaria ad generationem, tamen utilis est ad hoc ut semen uterum facilius ingrediatur, ac proles maiore spe concipiatur, praesertim vero si seminatio viri cum foeminae distillatione coincidat.

A distillatione differt fluxus muci purulentis vel serosi, qui est effectus vel inflammationis mucosae vaginalis, et appellatur *leucorrhea* seu *fluores albi*; vel mucosae uretralis, et appellatur *blenorrhagia*. Talis fluxus accidit sine genitalium erectione, et venerea voluptate, imo interdum cum dolore. Est verus morbus, etsi, ordinarie, non gravis.

DE POLLUTIONIBUS, ET MENSTRUIS.

5. — Inter eventus physiologicos recensendae sunt *pollutiones* in maribus, et *menstrua* in foeminis.

I. — **De pollutionibus.** — Pollutio, i. e. effusio seminis, est eventus physiologicus, qui in *maribus* post adeptam pubertatem, exclusa etiam quavis causa externa vel interna, plerumque aequalibus fere intervallis locum habet: quae tamen intervalla diversa esse possunt pro diversa corporis constitutione, diversoque usu vivendi. Quando pollutio accidit *regulariter*, multum confert ad valetudinem; spiritum liberiorem atque magis expeditum reddit ad agendum, et aptiorem ad studiis vacandum. Ordinarie oritur ex abundantia seminis in vesiculis seminariis collecti.

Multiplices vero dari possunt causae, *externae* vel *internae*, quae pollutionem frequentiorem reddere valent, prout ex. gr. nimius lecti calor, equitatio post copiosum prandium, victus nimis excitans, lectio vel somnia rerum turpium, decubitus supinus, potus valde alcoolicus, etc.: quae et similia secumferunt plus minus irritationem vesicularum seminalium, et consequenter seminis emissionem.

Pollutiones frequentissime, non solum *noctu*, sed etiam imo plerumque *diu* accidere possunt ex contracto luxuriae vitio e praecedenti manusturbatione, vel ex abusu praecoci et repetito veneris, vel ex usu onanistico tam in matrimonio, quam extra. Talis frequentia accidit etiam in adolescentibus debilibus, melancholicis, lymphaticis, scrophulosis, etc. In hisce postremis casibus pollutiones constituunt, ut patet, verum gravemque morbum; ideo ad medicum recurrendum est.

II. — **De menstruis.** — Nomine *menstrui* intelligitur naturalis fluxus sanguinis, qui in foeminis, absque libidine,

post adeptam pubertatem 28.° quoque die ordinarie redire solet, atque semper cum avulsione ovuli (ex uno vel altero ovario) coincidit. Scilicet tempore decisionis ovuli sanguis abundantius in uterum fluit; unde fit ut uteri arteriolae eo sanguine repletae nimis distendantur, ideoque ex poris vel scissuris sanguinem plus minusve exsudent, qui deinde per vaginam foras egreditur. Attamen sanguis menstruus e vagina non fluit cito; ordinarie primum mucus, postea mucus cum sanguine, demum sanguis defluit. Inde apud *veteres* communis, sed erronea, opinio quod sanguis menstruus sit naturaliter *impurus*; dum e contrario non est nisi sanguis communis, qui per corpus circulat, illudque nutrit.

Fluxus sanguinis menstrui ordinatur a natura ad adiuvandam, per suum calorem, eiectionem ovuli ex respectiva vesicula, in qua ortum habuit; ad alimentum suppeditandum foetui, si forte concipiatur; atque demum ad lactis formationem, adeo ut tempore praegnationis et lactationis ordinarie suspendatur.

Idem fluxus est quaedam naturae necessaria exoneratio, quae valde confert ad foeminae valetudinem, non secus ac pollutio naturalis in mare. Quare admodum periculosum est illum, prout saepe a iuvenibus ex verecundia incaute fit, impedire. Hinc si accidat ut fluxus menstruus ob causas naturales vel studio appositas suspensus remanserit, ad prospiciendum mulieris valetudini, medicaminibus provocandus est: quod licite fieri potest, quia illum voluptas venerea haud comitatur.

Cum causa provocans fluxum menstruum sit in organis internis generationis, et consistat in magna illorum excitatione, mulieres illum patientes obnoxiae fiunt variis et gravibus affectionibus, aliae enim tristes evadunt, aliae vero ex causa etsi levissima ad iracundiam concitantur; aliae anxietatibus, aut gravibus capitis vel abdominis doloribus

obnoxiae fiunt, saepe languorem ac lassitudinem experiuntur; interdum ad actus sibi insolitos patrandos abripiuntur, etc.; quare, nisi cautelae speciales circum ipsas, praesertim si adhuc puellas, non adhibeantur, in *grave* discrimen sanitatis tum corporis tum animae adduci possunt.

Fluxus menstruus regulariter perdurat per *duos* usque ad *octo* dies: quibus diebus mulieres dicuntur pati *molimina menstrualia*. Animadvertunt *physiologi* menstrua in foeminis absolutam castitatem servantibus paullatim minus frequentia evadere, et saepe ad quid minimum reduci; e contrario in foeminis eroticis excitationibus indulgentibus et praesertim libertinis ea superabundare, ac ad decem vel etiam quindecim dies perdurare.

Tempus cessationis menstrui ponitur circa 50.^{um} annum aetatis. Verum non defuerunt casus, in quibus praefatus fluxus primis aetatis annis, vel aliquanto serius post adeptam pubertatem primum apparuit, aut in tardissima aetate cessavit. Cessatis menstruis, non ideo cessant stimuli sexuales, qui tunc non a genitalibus organis proveniunt, sed sunt originis psychicae.

DE SEXUALI INSTINCTU, ET AMORE.

6. — Media, quibus uterque sexus, ad finem procreandae prolis, copulatur, sunt organa genitalia; causa vero copulationis est *instinctus sexualis* tum in mare tum in foemina. Ad illius vero firmitatem cum eadem persona obtinendam, ita ut vagus evitetur concubitus, a natura ordinatus est *amor*.

7. — **De instinctu sexuali.** — In genere sexualis instinctus nihil aliud est quam stimulus internus ad actum sexualem, seu ad copulam carnalem, inclinans. Talis instinctus

oritur tempore pubertatis, quando scilicet glandulae sexuales (*testiculi* in mare, *ovaria* in foemina) ad completam evolutionem pervenerint, ita ut propriam naturalem functionem (emissionem *seminis* in mare, *ovulationem* in foemina) peragere possint. Quomodo vero manifestetur, ita P. Gemelli: « Ab initio, ait, sat indeterminate manifestatur instinctus sub forma organicarum sensationum; deinceps vero sub influxu tum cognitae transformationis, quam genitalia quoad externam quoque formam subeunt, tum relationum socialium, necnon lectionum, etc., oriuntur in iuvene eroticae ideae; organicae sensationes intensiores fiunt, et actuum, qui ad reproductionem sunt necessarii, notio efformatur. Ita certae aetatis periodo, quae varia esse potest iuxta conditiones organicas ac sociales, verus sexualis instinctus assignatur » [1].

Sexualis instinctus valde diversam formam induit in viro ac muliere: cuius diversitatis ratio petitur ex diversitate constitutionis organicae, atque ex discrimine officii, quod uterque relate ad generationem adimplet. Hinc, subdit cit. auctor, quoad virum, quemadmodum ipse *activum* in copulatione elementum praestat, eius sexualis instinctus, seu melius coitus desiderium certo certius, in conditionibus normalibus, vehementius est, quam mulieris. Quod attinet vero ad foeminam, licet in actu sexuali *passive* se habeat, tamen eius instinctus sexualis haud minor est; quin etiam intensificatur instinctu procreationis, qui in foemina vehementior est, quam in viro, adeo ut ad talem finem foeminae cupiant se dedere, vinci, subiugari a viro. Hinc est quod in muliere intensior stimulus sexualis habetur *ovulationis* tempore, et maximum in menstruationis termino gradum attingit. In foeminis tamen bene moratis, ait Descuret [2], sexualis instinctus post aliquod tempus unionis, praesertim

[1] Cfr. l. c., pag. 33-34. — [2] Cfr. l. c., pag. 369.

si pluries matres effectae sint, paullatim decrescit, et iam dat locum intensiori cordis affectui, quem ipsae inter virum et prolem dividunt.

Nervea centra, quae functionibus sexualibus praesunt, sedem habent in *medulla spinali*, (et praecise in *zona lumbari*), adeo ut haec simul cum cerebello et nerveis fibris constituat intimam connexionem inter cerebrum et organa genitalia. Ex quo fit ut *activitas psychica* in sexualem functionem tantopere influat, et quidem non modo eam *excitando*, sed etiam *inhibendo*, seu impediendo. Hinc est quod, diminuta aut suppressa *cerebrali activitate*, excitatio sexualis vividior evadat. Et ratio est, quia cerebrum virtutem suam moderatricem circa genitalis centri medullam spinalem amplius exercere non valet. Quare quidam dementes, idiotae et imbecilles, et ii qui paralysi cerebrali progressiva affecti sunt, appetitum sexualem valde persentiunt, qui etiam in verum *erotismum* degenerare potest.

Attamen non solum *activitas psychica* directe influit in medullam spinalem ad hoc ut functio sexualis habeatur, sed etiam quaevis directa excitatio, per aliquam causam, ipsius medullae, et quidem quin voluntas eam impedire valeat, prout per confricationes lumborum, vel ob pressiones, flagellationes, aut punctiones circa lumbos. Alia denique causa excitationis sexualis, iuxta Antonelli, reposita est in verberibus in anum, in flagellationibus, aut actibus similibus. Notum est, ait cit. auctor, pueros saepe primos sexuales motus experiri, cum hisce punitionibus subiiciuntur [1]. Praefatae medullae spinalis degeneratio, vel magna debilitas functionem sexualem impedire potest, etiamsi voluntas in eam intendat.

Dum sexualis functio peragitur ac perdurat, sanguis *ar-*

[1] Cfr. l. c., t. II, n. 173.

teriosus ad genitalia copiose affluit, et eorum erectionem efficit.

8. — Ad sexualem instinctum naturalem adaugendum variae causae *internae* vel *externae* plus minusve influere possunt. Praecipuae sunt hae:

a) **Causae internae,** seu *organicae* sunt: temperamentum sanguineum, nervosum, et praesertim eroticum; – anatomicae genitalium alterationes; – inflammationes genitalis apparatus, praesertim vulvae in foeminis; – herpes; – vermiculi in recto intestino; – calculi vesiculae urinariae; – laesio cerebri vel medullae spinalis; – epilepsia; – hysterismus; – neurastenia; – dementia senilis; – paralysis cerebralis progressiva; – paranoia; – idiotismus; – imbecillitas; – melancholia; – anemia; – phtysis pulmonaris; – priapismus; – satyriasis – nymphomania; – defectus munditiaei in genitalibus.

b) **Causae externae** sunt: alimenta vel aphrodisiaca, vel aromatica aut copiosa; – loci vel regionis caliditas; – tempora veris et aestatis; – lectus mollis; – supinus decubitus; – compressio vestium circa genitalia; – titillatio vel confricatio zonae lumbaris; – occupationes sedentariae; – otium, praesertim post prandium vel coenam; – abusus bicycliolae; – usus machinae ad suendum, quae moveatur pedibus; – exempla prava; – lectiones obscoenae; – aspectus, auditio, olphactio rerum turpium; – abusus voluptatum sexualium; – coitus animalium; – equitatio; – prava educatio; – defectus religionis; – hereditas.

9. — Haud raro dantur causae, saepe ignotae, quae inducunt in quibusdam individuis utriusque sexus *perversionem*, aut *inversionem* instinctus sexualis. – *Perversio* habetur quando subiectum copulam naturalem abhorrens, libidini sa-

tisfacit per actus solitarios abnormes, et a vita sexuali prorsus alienos. – *Inversio* accidit quando subiectum copulam naturalem (prout supra) abhorrens, propensionem habet erga personas eiusdem sexus.

I. — **Perversionis** casus paecipui sunt:

a) *Manusturbatio,* utrique sexui communis.

b) *Feticismus,* qui habetur, quando libido excitatur vel expletur ex imaginatione, tactu vel aspectu obiectorum, interdum per se etiam indifferentium, ad personas diversi sexus spectantium, prout sunt: *manus, pes, crines, indumenta, linteola, calcei,* etc. Libido fit vehementior, si hae res pertineant ad mulierem inordinate dilectam. – Est frequentior in *viro,* quam in foemina.

c) *Exhibitionismus,* seu sexualis excitatio, proveniens ex eo quod propria genitalia alteri monstrantur. – Frequentior est in *viro,* quam in foemina.

d) *Sadismus,* seu abnormis excitatio sexualis provocata ex imaginationibus, vel actionibus cruciatuum, quos quis suae victimae, non ad obtinendam copulam, sed ad excitandam atque explendam per eos libidinem, infligit. Forma haec coniungitur, ut patet, cum instinctu sanguinario, et est satis diffusa. – In *viris* saepissime inesse perhibetur; vix unquam in foeminis.

e) *Masochismus,* qui habetur cum libido excitatur per humiliationem, submissionem, violentias et cruciatus, quos quis patitur. – Talis perversio in *foeminis* frequens reperitur.

II. — **Inversionis** vero propria forma et character consistunt in hoc, quod is qui ea affectus est, non modo sexualem appetitum, sed omnes etiam psychicas manifestationes erga proprii sexus personas dirigit, adeo ut sensus venereus, non ex amore, imaginatione, aspectu vel tactu personae diversi, sed eiusdem sexus in eo provocetur. – *Effectus* inversionis sexualis sunt mutuae pollutiones, et concubitus sodomitici.

Inversio in *viris* frequentior est, quam in *foeminis*. — Si inversionis obiectum sunt *pueri*, tunc inversio dicitur *paederastia;* si animalia, *bestialitas*.

In foeminis talis inversio dicitur *amor lesbicus* vel *sapphicus;* et quae inversione afficiuntur, *tribades* appellantur [1].

10. — *Imputabilitas*. — An actus ex *perversione* aut *inversione* instinctus sexualis procedentes, sint subiecto imputabiles, negari non potest, saltem si subiectum sana mente polleat. Interdum tamen vel ratione aegritudinis mentis, aut ob defectum libertatis, nulliter aut parum erunt imputabiles. Audiatur Gemelli: « Iam diximus, inquit, multos quoad huiusmodi morbos dari casus, qui profecto debentur veris alterationibus congenitis ac hereditariis ipsius cerebri: sed non ideo tamen tenendum est, omnes perversionum inversionumque sexualium casus veram imputabilitatem excludere. Nequaquam! Magna enim hic adhibenda est cautela. Nulla sane imputabilitas in iis tantum casibus admittenda est, quando ex studio circa morbi decursum, ex analysi hereditatis, ex manifestis anomaliis psychicis, seu veris psycopathiis inferri certo licebit, hic agi de quadam organicae constitutionis infirmitate, acquisita vel hereditaria » [2].

11. — Ex altera parte variae adesse possunt causae, quae sexualem instinctum ac desiderium copulae *relative* vel *absolute* imminuunt aut tollunt. Hae causae sunt sive *physicae,* prout ex. gr. vitium manusturbationis, sodomiae praesertim cum pueris, usus continuatus nonnullorum medicamentorum, puta iodii, hydrargirii, etc., castitas rigorose et diu servata, nimia timiditas in copula peragenda, horror

---

[1] Cfr. Gemelli, l. c., pag. 73; Noldin, *De sexto,* n. 47. — [2] l. c.

coitus, disillusio, etc.; sive *morales* seu psychicae, quae ordinarie verificantur quando mens habitualiter profundis meditationibus aut studiis incumbit, vel spiritus vehementi praeoccupatione detinetur aut exagitatur: ex quo fit ut cerebrum actionem inhibentem transmittat ad nervos ac centra sexualia quae ideo sexualem instinctum ac desiderium coitus quiescere faciunt. Absentia instinctus ac desiderii sexualis *anaphrodisia* appellatur.

Saepe in utroque sexu, sed praesertim in foeminis, *anaphrodisiam naturalem* datur reperire. « Plures sunt mulieres, ait Gemelli, quae sexuali appetitu omnino carent, quibusque coitus displicet, vel saltem ad illum indifferentes se habent. Plerumque insuper in foemina sexualis appetitus tardius valde ac in viro evolvitur, voluptatisque sensus a primo dumtaxat coitu persaepe excitatur » l. c.

12. — **De amore.** — Quae superius dicta sunt de sexuali instinctu, reflectunt id quod homo commune habet cum animalibus. At Deus creator, ut humanae speciei conservationi magis magisque prospiceret, praeordinavit ut homo non solum per suas facultates organicas et sensitivas, sed etiam per suas facultates essentiales ad opus generationis mediate concurreret. Scilicet voluit Deus ut inter marem et foeminam talis efformaretur animorum coniunctio, quae dum reflexe intensiorem redderet in utroque instinctum sexualem, foret etiam causa cur vagus concubitus, humanae generationi adeo noxius, evitaretur. Iamvero causa effectrix talis animorum coniunctionis, non est nisi ea tendentia, qua mas et foemina ex mutua cognitione pulchritudinis *physicae* vel *moralis* mutuo inter se attrahuntur, et quae appellari potest *amicitia.* Ex unione vero instinctus sexualis atque amicitiae oritur *amor physiologicus,* cuius finis est reproductio speciei. Amor physiologicus suas habet leges, saepe secretas

atque ignotas, quibus regitur. Sunt qui putant eum fundari in similitudine characterum physicorum vel moralium, ita ut qui alterum amore prosequitur, nonnisi propriam similitudinem amet. Alii e contrario, fortasse *verius*, affirmant amorem physiologicum fundari in eorumdem characterum dissimilitudine, adeo ut etiam hic vigeat *lex*, quae dicitur *compensationis*. Reipsa passim datur videre uniones sexuales, felices ac stabiles, inter personas, quarum una est puta mitis characteris, altera indolis iracundae et imperiosae; una est aspectu decora, altera minus pulchra vel etiam deformis; una est procerae staturae, altera staturae brevis; una est potentis ingenii, altera ingenii debilis ac fatui, etc. Idem vero dicendum relate ad *temperamenta*. Ipsa vero experientia docet ex unionibus sexualibus, quae fiant iuxta praefatam legem, ordinarie nasci prolem numerosam, pulchram, ingenio pollentem, sanam, atque longaevam.

Notatum est, et quidem recte, haud semper instinctum sexualem cum amicitia vel amore coniungi, et viceversa. Interdum enim accidit ut mas erga foeminam instinctus sexualis impulsu vehementer feratur, quin tamen illam amet et aestimet; et viceversa. E contrario, verificantur casus, in quibus mas foeminam vehementer amat, quin experiatur erga illam instinctum sexualem; et viceversa. Quare dixeris quod in huiusmodi casibus binae in uno eodemque individuo animae reperiantur, quae plus minusve ab invicem separatae inter sese luctantur.

DE MOTIBUS CARNALIBUS, ET DELECTATIONE.

13. — **De motibus carnalibus.** — Motus carnalis, in hac materia, idem est ac decisio fluxusque vel *carnis*, prout accidit in seminis effusione, vel *humorum*, prout evenit in

Ph Periodica Vol 22 (1933) p. 122* for article contra this + other definitions of Alberti. By Vermeersch.

distillatione. Motus igitur carnales in organis genitalibus sedem habent, et in actuali pollutione vel distillatione consistunt.

Num motus carnales dici debeant etiam actus vel motus pollutioni vel distillationi praevii, affirmandum est, si agatur de actibus vel motibus *proxime* praeviis; negandum, si sermo sit de actibus vel motibus *remote* praeviis. Ut mentem meam hac in re melius explicem, animadvertendum est ad habendam pollutionem vel distillationem *ordinarie* requiri in antecessum verendorum commotionem seu erectionem sive sponte aut indirecte obortam, sive tactibus directe procuratam; erectione vero perfecte, subsecuta, esse insuper necessarios, (praesertim in iis, qui sunt naturae frigidae, vel castam vitam ducunt, aut sunt senes) impulsus, tactus, vel contrectationes ut semen et humores seu muci e respectivis vesiculis et glandulis egrediantur. Iamvero hi actus vel motus, et non illi, intelligendi sunt actus proxime praevii pollutioni vel distillationi, ideoque motus carnales ad hosce tantum, utpote solos intime connexos cum pollutione ac distillatione, et qui *virtualiter* haberi debent ceu inchoata pollutio, extendendi sunt. Ex quibus sequitur actus vel motus *remote* praevios, qui nempe consistunt in sola gradata verendorum commotione seu erectione, motus carnales proprie dici non posse, quia talis verendorum commotio seu erectio non a carnis vel humorum fluxu, sed ex affluxu sanguinis ea permeantis ac replentis causatur: qui sanguis ad verenda revocari aut confluere potest ob causas sive internas, sive externas, sive naturales, sive voluntarias, puta per tactus, etc. Hinc facile explicatur quomodo fiat ut pueri primis aetatis annis membrum virile erectum habeant, dum in ipsis in dicta aetate carnis aut humorum fluxus, vel delectatio venerea non est.

Attamen interdum ob peculiarem subiecti dispositionem,

ob temperamentum eroticum vel nimiam caliditatem, ob inveteratum luxuriae vitium vel morbum, accidere potest ut pollutio vel distillatio subsequatur dum verenda sunt adhuc in via erectionis, vel etiam citra quamcumque horum commotionem: quibus in casibus motus carnales, in sensu explicato, cum verendorum cómmotione seu erectione coniunguntur ac confunduntur.

14. — Motus carnales dicuntur etiam *venerei,* et quidem recte: nam venereum dicitur id quod *ex se* et *proxime* ad generationem pertinet, prout sunt motus carnales in sensu explicato. Hinc est quod etiam delectatio, quae eos concomitatur, *venerea* dicatur.

15. — Motus carnales non sunt *pravi,* nisi ratione pollutionis, vel distillationis, et delectationis venereae; proinde ubi quaeritur de malitia motuum carnalium, ad malitiam pollutionis vel distillationis, et delectationis venereae respiciendum est.

16. — **De delectatione.** — Deus creator omnibus humanis operationibus quamdam adnexuit delectationem, quae foret incitamentum ac stimulus ad agendum: quod praecipue in opere humanae generationis praestitit. Delectationem, de qua hic sermo esse potest, *quadrupliciter* dispesco, seu in *venéream, sensualem, sensibilem* et *intellectualem.*

I. — **Venerea** delectatio ea dicitur, quae excitatur in organis genitalibus [1], et quae motus carnales, in sensu su-

---

[1] *Quoad loca delectationis venereae,* haec scribit Antonelli: « In *viro* praecipuum locum tenet *glans* penis ob multa et subtilia filamenta nervea, quae habet; quare fit ut glans maxima sensibilitate polleat. Quaecumque alia pars genitalium viri sensibilitate ac proinde de-

perius explicato, concomitatur: seu est delectatio, quae coniungitur cum pollutione aut distillatione, atque cum actibus vel motibus utrique *proxime* praeviis.

Delectatio venerea appellatur etiam *carnalis*, et est maxima omnium delectationum; ideo homines ad ipsam vehementissime tendunt, ita ut interdum veram insaniam furoremque libidinosum in ipsis producat. Est communis et propria utrique sexui, atque in utroque sexu, mediante praesertim manusturbatione vel copula carnali perfecta, completa ac naturae satiativa evadit. Est autem omnino providentialis, nam sine hac homines valde difficulter ad coitum inducerentur, cum evidenti detrimento propagationis ac conservationis generis humani. Quare finis delectationis venereae est *bonus* ac *honestus*.

Delectatio venerea dividitur in *completam* et *incompletam*, secundum quod adnexa est *pollutioni* proprie dictae, prout accidit in mare pubere, vel *distillationi*, prout evenit in mare impubere, in foeminis, in perfecte eunuchis, et in iis qui *vasectomiam* passi sunt. – Utraque subdividitur in *perfectam* et *inchoatam*, secundum quod ad suum ultimum terminum pervenit, vel minus. Verum inter has divisiones differentia *specifica* non datur [1].

---

lectatione venerea caret. Alter vero locus est *os anale*, quo utuntur plures impudicissimi viri ad obtinendam perfectionem voluptatis, etiam minimo tempore, quia nonnulli eius nervi sunt simplices rami nervorum penis.

In *muliere* vero plura sunt loca voluptatis. *Clitoris* primum locum habet; dein *vagina* ipsa et *collum uteri*, quovis modo excitentur, maximam venereamlibidinem afferunt; dein veniunt *ubera* et praecise eorum areolae, quarum excitatio excitationem genitalium fere semper vehementem secumfert, etiam cum emissione muci vulvo-vaginalis, quae perfectam voluptatem significat ». Cfr. vol. II, n. 166.

[1] Relate ad praefiniendos delectationis venereae, itemque motuum

II. — **Sensualis** delectatio ea dici potest, quae percipitur in verendis ex eorum commotione seu erectione, causata ex affluxu sanguinis ea permeantis. Talis delectatio gradus habet, non secus ac ipsa verendorum commotio seu erectio; ideo in *perfectam* et *imperfectam* dividi potest.

Delectatio *sensualis* per se, iuxta superius dicta, a *venerea* distincta est, ab eaque seiungi potest. Attamen aliquando accidit ut, attenta subiecti ad venerea proclivitate, nimia caliditate vel morbo, etc., delectio *sensualis* locum cedat delectationi *venereae*, puta si tale subiectum, verendis necdum commotis, aut imperfecte erectis, pollutionem aut distillationem patiatur.

III. — **Sensibilis** delectatio ea est, quae, absque delectatione venerea et sensuali, percipitur cum aliquo calore circa pectus, vel cum accelerato cordis motu, ad tactum, osculum, visum, recordationem, etc., personae, rei, actionis, imaginis inhonestae.

---

carnalium limites, non omnes theologi idem sentire videntur. Ita ex. gr. Sani delectationem veneream extendit etiam ad initialem verendorum commotionem seu erectionem, inquiens: « Haec (seu delectatio venerea) cum (verendorum) commotione ac irritatione vel erectione incipit: hac perdurante, continuat: hac cessante, cessat; et hac ad ultimum terminum seu ad seminis emissionem perveniente, tunc delectatio ad summum complementum, scilicet ad satietatem plenam pervenit ». Cfr. *De sexto*, n. 1793. - E contrario Piscetta eam videtur contrahere, inquiens: « Hinc vides non quamlibet delectationem, quae in partibus genitalibus sentiatur, esse veneream; sed eam tantum, quae saltem initium sit eius, quam natura effusioni seminis (vel humoris foeminei secretioni) adnexuit » Cfr. *De lux.*, n. 2. - Ceteri theologi, hac in re, quae modo claro et explicito exponi deberet, valde obscure loquuntur. Fortasse qui delectationem veneream extendunt etiam ad simplicem verendorum commotionem seu erectionem, moventur adhuc antiquorum praeiudicio, praefatam scilicet commotionem esse effectum resolutionis seminis, vel saltem hanc cum illa semper coniungi: quod ordinarie verum non est.

IV. — **Intellectualis** delectatio ea dicitur, quae residet in mente, et consistit in quadam mentis voluptate ac gaudio. Percipitur vero ex *pulchritudine* (naturali vel artificiali) obiecti inhonesti, vel ex *modo ingenioso*, quo actio inhonesta peracta est. Talis delectatio appellari etiam potest delectatio *aesthetica*. — De delectatione quatenus est *actus voluntatis*, dicam inferius, ubi sermo erit de peccatis *internis* contra castitatem.

DE MODO, QUO GENERATIO PERFICITUR.

17. — Supposita tum in mare tum in foemina organorum et elementorum essentialium exsistentia, ad ovulum foecundandum, ordinarie destinatus est *coitus*, qui dicitur *copula* a copulari, utpote quia in coitu uterque sexus coniungitur. Dixi *ordinarie:* nam modo etiam *artificiali* foecundatio obtineri potest.

« Periodus generandi, ait d. Mende, a tempore incipit, quo homo iam sibi sufficiens, conservandae speciei idoneus factus est. Porro talis periodus cum pubertate non coincidit. Functio physiologica omnis, maxime generationis, omnem suam plenitudinem minime a primo exercitii possibilis die accipit; sed necesse habet, ut, antequam actu exerceatur, sese evolvat, atque naturales suos effectus in integrum organismum perducat. Hinc nubilitas, quam a pubertate distinctam volumus, ab anno incipit in foeminis circiter vigesimo, vigesimo quarto in viris ». — Attamen, iuxta ius canonicum, masculus an. 14, et foemina an. 12 matrimonium inire permittuntur. Iura vero civilia an. 18 in primo, et an. 15 in altera communiter exigunt. Haec iura videntur potius ad pubertatis, quam ad nubilitatis aetatem respicere [1].

---

[1] Cfr. Eschbach, l. c., pag. 102, art. II.

18. — Copula carnalis potest esse *perfecta* vel *imperfecta*. Prior habetur quando vir membro virili penetrat foeminae vaginam, in eaque semen deponit. Posterior accidit quando vir sive vaginam penetret, sive non, iaculatur semen extra vaginam, tamen prope vaginae ostium, ita ut semen in eam ingredi possit. Utraque est apta ad generationem; at copula *perfecta*, ut patet, *aptior* est atque *expeditior*: sola vero efficax est ad hoc ut in utroque copulante carnalis concupiscentia plene quiescat.

Ut vero copula *aptius* perficiatur, natura efficit ut organa genitalia tum viri tum mulieris erigantur; quod accidit, ut superius dictum est, per affluxum sanguinis arteriosi in ea membra. Attamen hodie omnes *physiologi* docent ad generationem habendam non esse absolute necessariam genitalium erectionem, et vaginae muliebris penetrationem, cum sufficiat semen deponere prope vaginae ostium. Quare, ait d. Brouardel: « Nihil magis erroneum est (contrarium putare), cum certo constet foeminas virgines concepisse post mera contra pudicitiam tentamenta, incorrupto manente hymene, ex semine ad vulvae superficiem deposito ». De hac re praestat, si occasio offeratur, puellas in confessione monere, ne a suis amasiis forte decipiantur: tale enim phenomenon ignorantes, facile cedere possunt amasiorum libidini, putantes haud inde sequi posse generationem.

19. — Iaculato semine, membrum virile relaxatur atque retrotrahitur. Seminis vero *nemaspermata* ob eorum motum vibratilem pervadunt uterum atque oviductus, seu *tubas fallopianas*, ubi ordinarie (*raro* in ovariis; *rarissime* in utero) fit occursus inter ipsa nemaspermata et ovulum, ex ovariis decisum; adeo ut dein, si nihil obstet, eveniat ovuli (quod sit iam maturum) foecundatio, et consequenter novi hominis conceptio seu generatio. Attamen putandum non est, prout

antiqui putabant, foecundationem esse instantaneam et contemporaneam copulae, siquidem tum ascensus nemaspermatum, tum ovuli descensus per oviductus lentus est, adeo ut foecundatio eveniat etiam post plures dies. Id quod innuit *ovulum* ex ovario decisum, ac *nemaspermata* per plures dies posse intra organa foeminea, quae sana sint, permanere, ac ad invicem sese expectare.

Notanda:

a) Posito naturali ascensu seminis in vaginam et uterum mulieris, patet quemlibet situm in peragenda copula naturalem esse; proinde haec haberi potest vel *stando*, vel *sedendo*, vel *more pecudum*, vel *a latere*, vel *viro succumbente*, etc. Aliqua vero perditio seminis non officit generationi, cum ad generationem minimum seminis satis sit.

b) Controversia est inter doctores quando dici possit marem et foeminam fieri *unam carnem*, iuxta illud Geneseos: « *et erunt duo in carne una* ». Prior sententia, mihi *verior*, docet virum et mulierem fieri unam carnem, cum efficitur coniunctio inter *nemasperma* virile et *ovulum* foemineum: tunc enim habetur vera *seminum* commixtio, et consequenter carnium unitas. Altera sententia tenet virum et mulierem tunc fieri unam carnem, cum vir, penetrata mulieris vagina, in hac semen deponit: tunc enim, aiunt patroni huius sententiae, vir et mulier actu fiunt physicum principium, a quo initium accipit humana generatio, et hoc satis est ut verificentur verba Geneseos sup. citata. Ex his patet quid dicendum sit de *impedimento affinitatis*. Scilicet iuxta *priorem* sententiam, impedimentum affinitatis tunc solum de facto oritur, quando praefata coniunctio inter nemaspermata et ovulum efficitur. Cum vero talis coniunctio sit factum internum, quod latet etiam ipsos coeuntes, suppositis iis omnibus, quae essantialia sunt ad generationem, et posita copula perfecta, ea praesumitur, ideoque

praesumitur, usque ad contrariam probationem, fuisse contractum etiam impedimentum affinitatis. Secundum vero *alteram* sententiam, impedimentum affinitatis contrahitur statim ac vir, penetrata mulieris vagina, in hac semen deponit, quia, iuxta sup. dicta, ex hoc vir et mulier evaserunt una caro. Ex quo sequitur quod, quamvis mulier immediate post copulam ablutiones vaginales adhibeat aptas ad semen expellendum aut ad nemaspermata perimenda, id nihil officiat impedimento affinitatis, utpote quia iam contractum est.

c) Hodie ab omnibus sensatis doctoribus pro certo habetur animam rationalem infundi a Deo per creationem ipso momento, quo fit coniunctio inter elementa generativa, seu inter ovulum foemineum et nemasperma virile. — Neque dici potest, prout obiiciunt patroni contrariae sententiae, animam rationalem tunc vel non posse infundi ob subiecti incapacitatem, vel inutiliter infundi: siquidem anima rationalis, utpote substantia simplex, residere potest in corpore etsi minime extenso; cum vero constet ovulum vix foecundatum statim evolvi, anima rationalis tunc primum inservit ad vitam vegetativam foetus evolvendam, adeo ut successive et gradatim suas virtutes in corpore humano explicet ac manifestet. — Praefatae doctrinae consonat passim S. Scriptura. Ita ex. gr. Iob maledicit nocti, in qua *conceptus est homo*[1]; David dicit se fuisse a matre *conceptum in peccatis*[2]; Elisabeth dicitur *concepisse filium* in senectute sua.[3] — Ecclesia vero in definitione dogmatica Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis ait Beatissimam Virginem Mariam in *primo instanti suae conceptionis* ab omni originalis culpae labe fuisse praeserva-

---

[1] III, 3. — [2] Psal. I, 7. — [3] Luc. I, 34.

tam immunem. — Hinc hodie non amplius admittitur distinctio inter foetum animatum et inanimatum.

20. — Num adsint nonnulla tempora, in quibus foecundatio evadat impossibilis, Antonelli, contra nonnullos, respondet *negative*, si excipiatur tempus, quod immediate subsequitur cessationem menstrui : quod tamen est vix probabile ; dum hebdomada antecedens menstrua propitior est ad foecundationem. [1] Consonat Eschbach, inquiens : « Licet de physiologico nexu menstrua inter et ovuli decisionem hodie constet ; iste tamen nexus talis non est, ut inter menstruorum epochas, sub venereo praesertim influxu, vesicula aliqua Graafiana maturescere, vel ovulum decidere non possit »[2]. Quin etiam, subdit cit. auctor, adsunt celeberrimi in hac materia auctores, qui affirmant menstruorum tempora esse generationi maxime opportuna [3] ; praesertim vero relate ad *steriles*, adeo ut si alia causa sterilitatis non reperiatur, copula praefato tempore ipsis suadenda sit. Neque ideo, docet Capellmann, aliquid timendum est proli, prout erronee antiqui putabant, affirmantes ex tali copula nasci filios leprosos, monstruosos, imbecilles, fatuos. Ex parte tantum mulieris timendum foret aliquod periculum etiam grave, propter maiorem, ratione copulae, genitalium, praesertim uteri, irritationem ; quae certe tempore menstruationis iam in congestione et irritatione versantur ; quare si coniuges de hoc gravi mulieris incommodo admoneantur, forte facilius ab hac utique turpissima copula arceri poterunt[4].

21. — Secuta foecundatione ovulum descendit in uterum, ubi, firmiter adhaerendo eius plicis, evolvitur[5]. In statu

---

[1] Cfr. l. c., vol. I, n. 224. — [2] Cfr. l. c., p. 83. — [3] Cfr. l. c., p. 108.
[4] Cfr. l. c., p. 148.
[5] Locus naturalis et physiologicus evolutionis ovuli foecundati

normali foetus evolvitur ita, ut caput habeat versum erga partem inferiorem uteri, et reliquum corpus erga partem superiorem, cum flexione crurum contra ventrem. Aliquando diversam assumit positionem, et tunc partus difficilis ac periculosus, absque chirurgi auxilio, evadit. Ostium uteri, tempore praegnationis, quadam massa mucosa clauditur, ita ut uterus semini immisso in subsequentibus copulis *ordinarie* impervius evadat, et sic novus conceptus per novam copulam raro accidit. Proinde si mulier plures simultaneos concipit foetus, tale phoenomenon facile explicatur ex eo quod duo vel plura ovula, ex utroque ovario decisa, per unam eamdemque copulam foecundari potuerint: quod mirum non est, si consideretur sperma prope innumera nemaspermata continere. Interdum tamen conceptuum pluralitas accidere potest etiam per *superfoecundationem*, quae habetur quando plura ovula foecundantur per distinctas copulas brevi temporis spatio inter se distantes. Item, etsi valde raro, evenire potest quando uterus *duplex* est.

22. — Totum tempus, quo foetus sistit in utero, dicitur *praegnatio*, quae ordinarie protrahitur usque ad 9 menses; quo tempore transacto, foetus, vi contractionum muscolorum uteri, disruptis membranis eum involventibus, in lucem editur. Egressus foetus ex utero dicitur *partus*. Aliquando foetus citius egreditur: quo casu foetus difficulter vivere potest; nisi forte egressus accidat *septimo* vel *octavo* mense; tamen ut vivat, curis specialibus indiget. – Imo primis praesertim a conceptu hebdomadibus abortus esse *frequentissimos*, adeo ut integrae generationes sic pereant, omnes docent *physiologi*. Causae multiplices sunt, sed praecipue hae recen-

---

est certe *uterus*. Verum aliquando accidit ut evolutio fiat extra uterum, seu vel in *ovariis*, vel in *tubis falloppianis*, aut in *cavitate abdominis*,

sentur: mulierum imprudentia ac temeritas in arripiendis itineribus vel elevandis ponderibus vires excedentibus; – saltationes seu choreae; – vestes nimis angustae; – appetitus non satisfactus ciborum vel potionum, quas mulier valde peroptet; – equitatio, vel itineratio per vias male stratas aut asperas, adeo ut mulier continuis concussionibus obnoxia fiat; – usus machinarum ad suendum, quae pedibus moveantur; – excessus in potando liquore spirituoso; – sanguinis emissio; – usus pilularum laxantium; – percussiones, praesertim contra ventrem; – balnea vel pedum vel corporis in aqua calida; – copula immoderate peracta; – odores acres. Praedispositive vero abortum determinant quaedam causae *internae*, prout speciale temperamentum vel constitutio mulieris, aetas nimis provecta, laetitiae vel timoris sensus, hereditas. Ex his patet quam verum sit quod physiologi docent de abortuum frequentia. Abortibus vero *involuntariis* adde *voluntarios*, qui hodie passim procurantur[1].

Notanda:

a) Tempore *praegnationis* mulieres evadunt obnoxiae variis et gravibus affectionibus tum *physicis*, tum *moralibus*. « Certum est, ait Ranchinius, et quotidiana experientia confirmatum, vulgo gravidas mulieres, in ordinaria victus ratione, non solum alimenta contraria appetere, ut sallita, acria, amara, aperientia, sed etiam absurda et noxia,

---

[1] Abortus voluntarius ac directe procuratus saepe accidit ex parte foeminarum, quae ex fornicatione genuerunt. Si forte igitur accedat ad confessionale aliqua ex his foeminis, et confessori aperiat se uterum gerere, haec monet Bonal: « Confessarius omni mansuetudine et caritate eam audiat; eamdem ab abortus crimine, si excogitetur, removeat metu iustitiae divinae simul et humanae, amoreque proprii conceptus. Insuper, ut vitetur in parochia scandalum, et integra servetur bona familiae fama, atque ne, amissa fama, in pessima quaeque obdurata fronte proruat puella, celetur huius culpa omnibus mediis,

ut fermentum, carbones, cineres, gypsum, calcem vivam et extinctam, terram, arenam, lapillos, stupas, lanam, gossypium, imo aliquando prodigiosa, ut anguillas crudas, araneas, lacertas, et carnem humanam » [1]. Quoad vero sensum moralem: «Non minus efficax, subdit Eschbach, apprehenditur in indolem moralem praegnationis actio. Sane quae hucusque mansuetae videbantur, mites et amantes, iracundae passim sunt, audaces et zelotypae; quae sani iudicii, maturi consilii, in patientia roboratae, nunc stultae, inconstantes, impatientes, imo ad suicidium propensae. Dei solius est, ait d. Descuret, huiusmodi mulieres iuxta rectum iudicium iudicare » [2]. Hae igitur mulieres indulgentius tractandae sunt, praesertim in tribunali poenitentiae. Circa tamen cibos, quos ipsae percupiunt, denegandi sunt omnino ii qui sanitati detrimento esse possunt.

b) Partum vel intolerabiles saepe concomitantur dolores, iuxta sententiam divinam contra primam parentem latam: « *In dolore paries filios tuos* ». Verum animadvertunt *physiologi* partus dolores passim habere pro causa etiam statum et conditionem mulieris. Ita mulieres, quae inactivam, mollemque vitam ducunt, difficilius et vehementiore cum dolore pariunt. Dum e contrario mulieres activae et laboriosae, praesertim si in agris habitualem vitam ducant, facilius pariunt, ac partus dolores minus experiuntur; imo

---

quae sinit prudentia. Videlicet suadeat confessarius puellae tum ut ipsa matri vel alii ex cognatis suis arcanum suum credat, tum ut mater aut cognata praegnationi et partui abscondendo idoneum locum reperiat. Hac de re *in primis* consulatur superiorissa alicuius conservatorii. In nullo casu ipse confessarius matri aut cognatis huiusmodi puellae statum patefaciat; multo minus de loco parturitionis ipse provideat, ne forte in suspicionem veniat ». Cfr. *De virt. cast.* n. 140.

[1] Cfr. Op. *De morbis ante partum.* — [2] Cfr. l. c., pag. 90.

notatum est foeminas silvestres maxima facilitate parere, ac partus incommoda raro persentire.

c) Non satis constat quomodo originetur *delineatio* futuri corporis organici, neque quomodo accidat *similitudo*, quam proles enata modo cum parentibus, modo cum extraneis, saepe cum avis retinet. Item ut omnino inexplicabile traditur factum *diversitatis sexuum*. Inter varias opiniones recensetur etiam opinio, iuxta quam sexus uterque ita inter se habet, sicut *perfectum* ad *imperfectum*, ideo eorum discrimen non est nisi *accidentale*. Seu aliis verbis, secundum praefatam sententiam, sexus foemineus non est nisi sexus masculinus degeneratus vel imperfecte evolutus. Verum haec opinio inter antiquatas iamdiu reiecta est, siquidem evidenter apparet marem et foeminam non solum quoad genitalia differre, sed etiam quoad integrum organismum, adeo ut uterque sexus sit determinatus, completus, ac perfectus in genere suo, attento officio, ad quod uterque a natura destinatus est.

23. — Partu secuto, organa genitalia mulieris, nempe uterus et vagina, ob praegnationem et partum notabiliter dilatata ac distenta, paullatim ad pristinum statum redeunt: quod tempus vocatur *puerperium*, quo durante, mulier fluxum patitur, qui *purgatio puerperalis* appellatur. Res, ait Capellmann, quae (hoc tempore) in organis generationis aguntur, immutationes et violationes graviditate productae, iam disponunt per se ad varios morbos, ad sanguinis profluvia, inflammationes, positiones uteri aberrantes, etc.... Praeterea eodem tempore mulier maxime ex virium debilitate patitur. Exacto hoc tempore, (quod ad duas hebdomadas protrahitur), periculum minuitur; nihilominus experientia satis probat quamlibet rem noxiam tamdiu pessimos effectus producere posse, quamdiu organa generationis nondum rite

restituta sunt. Sed perfecta uteri restitutio demum post *sex fere hebdomadas* absolvitur. Eodem fere tempore menstruatio denuo recurrit (si uberibus suis prolem foemina non alit; in foeminis lactantibus plerumque per longius tempus retardatur), et ipse organismus indicat omnia ad novam generationem parata esse. Ex his rationibus copulam in primis duabus hebdomadis post partum plane vetitam existimo, cum foeminae gravissimum damnum afferre aptissima sit. Imo intra quatuor hebdomadas sequentes eam sine conditione licitam esse non puto. Sed quum periculum hoc tempore non iam tantum sit, theologi decernant, quaenam causae sufficiant ad hoc periculum gravis damni, quod mulieri afferatur, compensandum; quod semper utique extat, quamvis non ita magnum sit [1].

24. — Quod attinet ad *tempus lactationis*, hodie certum est copulam hoc tempore habitam minime lac maternum inficere, et sic proli nocumentum afferre, prout veteres putabant. Attamen, incipiente nova graviditate, lac maternum mox diluitur, diminuitur, et desinit. Num ad hoc inconveniens removendum teneantur coniuges a copula per id tempus abstinere, negandum est: cum enim neonatus per plus quam integrum annum ordinarie lacte materno indigeat, coniuges per tempus nimis diuturnum a copula coniugali abstinere deberent cum evidenti periculo incontinentiae. Ceterum hoc tempore foecundatio difficilius accidit; ubi vero acciderit, et mater lacte privetur, proles, quamvis non aeque bene, per nutricem, aut mediante apto instrumento ali poterit.

25. — An mater, quando facile id praestare potest, teneatur proprio lacte suam prolem alere, dixi in Parte altera *Theologiae Moralis* sub n. 8, I.

---

[1] Cfr. l. c., p. 150.

QUANDO GENERATIO IMPEDIRI DICATUR.

26 — Generatio ex parte coeuntium dicitur impediri, quando, habita copula, sive perfecta, sive minus perfecta, vel etiam imperfecta, efficitur ne semen uterum ingrediatur; quod locum habet in seqq. casibus:

a) si vir utatur involucro (*guanto*);

b) si semen a vagina ex integro expellatur seu removeatur;

c) si semen reddatur infoecundum, puta lotionibus aquae acidulae, etc.;

d) si vir procul a vagina semen effundat.

E contrario non dicitur impediri generatio, si copula non habeatur; aut si haec peragatur cum intentione eam abrumpendi antequam subsit periculum seminandi.

DE IMPOTENTIA ET STERILITATE.

27. — Interdum dantur mares et foeminae, qui ad generandum *impotentia* aut *sterilitate* laborant. Quando habeatur impotentia vel sola sterilitas, res non adeo perspicua ac definita apparet apud eos, qui de hac materia pertractant. Meo iudicio, sequentes regulae statui possunt.

28. — **Impotentia** habetur: — *a*) quando organa essentialia ad generationem prorsus desunt, nempe: penis vel testiculi in *viro*; vagina, vel uterus, vel tubae, vel ovaria in *foemina*; — *b*) quando praefata organa exsistunt, sed inepta sunt ad propriam functionem peragendam, puta si in *viro* penis sit notabiliter diminutus aut ampliatus, vel habeat os

uretrale non in vertice, sed prope basim, vel si quavis de causa, physica vel morali, nequeat erigi aut semen iaculare, item si ambo testiculi sint atrophia affecti, vel si vir canales semen deferentes ad vesiculas seminarias excisos, aut occlusos habeat, etc.; in *foemina* vero si vagina sit nimis angusta, aut sit imperforata, aut habeat hymenem crassum et durum; si uterus sit absque cavitate, aut sit imperfecte evolutus; si tubae (seu oviductus) sint imperviae, vel ita dispositae ut non valeant ovulum iam maturum apprehendere; si ovaria atrophia sint affecta, etc.; — *c*) quando elementa essentialia ad generationem, scilicet *nemaspermata* in viro, et *ovula* in muliere omnino desunt, neque vero conficiuntur.

Ex quibus apparet *impotentiam* haberi, quoties vel copula perfici non possit, vel perfici quidem possit, sed *de se* inepta sit ad generationem. Hinc recte inter alios cl. Antonelli: « Impotentia, ait, semper habetur, cum copula ad generationem evadit impossibilis, vel, si possibilis, finis essentialis eiusdem (h. e. proles) *absolute* et *per se* sperari nunquam potest, sive ob organorum essentialium absentiam, sive ob eorum atrophiam, sive ob quamcumque aliam causam, quae facit *ut copula ex natura sua sit necessario et perpetuo infecunda* » [1]. Apud nonnullos theologos, praesertim antiquos, impotentia superius descripta ac definita appellatur *impotentia coeundi*, quae, ut patet ex superius dictis, intelligi debet tum de impossibilitate habendi copulam, tum de impossibilitate habendi copulam *per se* aptam ad generationem, ob causas superius allegatas.

29. — Impotentia dividitur praecipue in *perpetuam* et *temporaneam*: quarum conceptum magni interest recte determinare ad dignoscendum quando matrimonium, inter per-

[1] Cfr. l. c., vol. II, n. 539.

sonas impotentia affectas ineundum, sit validum, vel minus: omnes enim docent impotentiam *perpetuam* matrimonio antecedentem, illud irritum reddere; minime vero impotentiam *temporaneam*.

a) Impotentia *perpetua* habetur, quando in perpetuum *physice* vel *moraliter* impossibilis est eius remotio. Proinde impotentia est vel censetur *perpetua*, quando tolli nequit: — *a*) absque *miraculo*, prout restitutio ovariorum et uteri in muliere excisa; testiculorum et membri virilis in mare perfecte evirato; — *b*) absque *peccato*, puta si impotentia removeri non possit, nisi per coitum fornicarium, vel per foecundationem artificialem modo illicito peragendam; — *c*) absque *periculo* vitae, vel gravi salutis dispendio, prout repositio uteri contorti ac reflexi; — *d*) insuper communiter censetur impotentia perpetua, si copula cum vasis foeminei penetratione nunquam exerceri poterit: quamvis enim etiam sine vasis penetratione *possibilis* sit generatio; tamen, sive quia talis copula est minus apta ad generationem, sive quia per talem copulam non obtinetur alius finis matrimonii, qui est plena concupiscentiae sedatio, recte communiter docetur etiam in hoc casu impotentiam *perpetuam* haberi.

b) Impotentia *temporanea* datur, cum, independenter a praefatis mediis *physice* vel *moraliter* impossibilibus, naturaliter cessare potest lapsu temporis, prout impotentia ad generandum, quae ex statu impubertatis vel actualis praegnationis dependet; vel cum potest removeri per copulae legitimae iterationem, aut mediante aliquo licito instrumento, prout est impotentia, quae dependet ex nimia vaginae arctitudine; vel tandem cum tolli potest per usum quorumdam medicinalium, aut per operationem chirurgicam, absque tamen periculo aut gravi vitae dispendio. — Impotentia manet *temporanea*, etsi is qui ea affectus est, instrumento, medicinalibus, aut operatione chirurgica (in sensu explicato) uti

nolit, aut *non possit*, quia puta est graviter aegrotans et iamiam moriturus. — Impotentia vero *perpetua* cessat, si is qui ea laborabat, vel miraculo, vel etiam adhibito modo illicito aut periculoso evasit capax generandi; ideo *valide* matrimonium iam contrahit. Quod si matrimonium iam antea inierit, hoc, utpote irritum, si eo uti velit, *convalidare* potest ac debet.

Ex dictis de impotentia tum *perpetua*, tum *temporanea* patet quid dicendum sit de *vasectomia*, seu de ea chirurgica operatione, qua (ut hodie in aliqua regione fit quoad quaedam individua ad impediendas morbidas ac noxias generationes) secantur canales semen ad vesiculas seminarias deferentes (cfr. n. 1. II). Scilicet *vasectomia* certe inducit *impotentiam*: mares enim sic excisi, incapaces sunt semen emittendi, ac proinde generandi. Num vero inducat impotentiam *perpetuam*, an *temporaneam*, videndum est utrum praefatorum canalium reconiunctio per chirurgicam operationem possibilis sit, et quidem perfici possit citra periculum aut grave vitae dispendium; an vero sit impossibilis, aut peragi nequeat, nisi cum tali periculo vel gravi incommodo. Si primum, impotentia in casu proposito *temporanea* est; si alterum, *perpetua*.

30. — **Sterilitas** tunc habetur, quando omnia organa essentialia ad generationem, et quidem in statu sano et perfecto, exsistunt, atque in respectivis organis conficiuntur praefata elementa essentialia; sed haec (scilicet elementa) antequam simul coniungantur, *ob aliquam* causam accidentalem (quae non sit absentia vel ineptitudo organorum), puta per aciditates vel inflammationes genitalium, depereunt [1].

---

[1] Inter causas impotentiae vel sterilitatis, vel saltem defectus prolis numerosioris recensetur intemperantia in cibis et potibus. « Aliter

Quare sterilitas ex parte *viri* locum habet, si *nemaspermata* vel in testiculis, vel in vesiculis seminariis, vel in canalibus ea deferentibus e testiculis in dictas vesiculas, vel dum in seminis eiaculatione per uretram transeunt, corrumpantur; ex parte vero *foeminae* habetur, si *nemaspermata*, per coitum in vaginam vel uterum iam immissa, aut si *ovulum*, in ovariis, vel in suo descensu per tubas, ineptum evadat ad foecundationem. Quod hic sit verus sterilitatis conceptus, et quod sterilitas ad solum praefatum casum coarctari debeat, videntur inter alios confirmare sequentes auctores.

Antonelli inquit: « Sterilitas est habitus subiecti ita dispositi, ut ex copula carnali generatio *tantum per accidens* non sequatur » [1].

Lehmkuhl ait: « Sterilitas... supponit possibilitatem copulae ex se ad generationem aptae perficiendae; at proles non generatur, quia sive ex parte virilis seminis, sive ex parte mulieris *aliquid obstat*, quominus semen virile ovum maternum contingat atque foecundet » [2].

Bucceroni docet: « Sterilitas est *in aliquo tantum accidentali foecundationis et generationis impedimento*, unde vel obstaculum habeatur ingressui zoospermatis in ovulum, et utriusque essentialis ad generationem elementi contactui, vel eo contactu posito, obstaculum habeatur actionis virtutis

---

quam putat vulgus, ait Eschbach, in generationem agit commoditatum fruitio, cum experientiae res sit corpulentiores atque habitiores foeminas steriles communiter apprehendi, aut pauciorem edere partum ». Cfr. l. c., p. 104. D. Roubaud idem sentit: « In ordine ad procreationem, ait, magis valere victum sufficientem utique, sed frugalem et communem, quam tot fumantia atque exquisita fercula ab hodierna arte culinaria atque depravata sensualitate inventa ». Idem dicendum de intemperantia in usu matrimonii.

[1] Cfr. Op. *De conceptu impot. et steril.*, n. 97. — [2] *Op. Mor.*, t. II, n. 743.

foecundativae zoospermatis in ovulum. Unde fit quod, eo ablato impedimento, ut saepe contingit, sequitur *actu* generatio. Quapropter copula in huiusmodi circumstantiis est et manet semper *per se* apta ad generationem; sed *per accidens* tantum, ex accidentali nempe impedimento, manet suo effectu frustrata, defectu favorabilium illarum dispositionum, in quibus inveniri debet, ut suum producat effectum » [1].

Iuxta nonnullos theologos, praesertim antiquos, *sterilitas* idem est ac *impotentia generandi*, seu ineptitudo ad *actualem* generationem, supposita potentia coeundi in sensu superius explicato, seu supposita (in utroque copulante) capacitate generandi.

31. — Ex superius dictis patet quid sentiendum *in specie* de mulieribus *excisis*, de eunuchis, de impuberibus, de senibus. Scilicet *mulieres*, quae sint perfecte *excisae*, seu quibus ambo ovaria vel uterus complete ablatus sit, sunt perpetuo ac absolute impotentes ad generandum [2]. Idem dicendum de eunuchis, qui perfecte ambobus testiculis orbati fuerint; non item si unus tantum testiculus ablatus fuerit. — *Impuberes* sunt tantum temporanee impotentes. — *Senes* vero possunt esse vel potentes, vel impotentes, vel tantum steriles; ideo in dubio eis permittitur matrimonium inire [3].

---

[1] Cfr. Op. Mor., tr. *De matr.*

[2] S. C. S. O., die 3 febr. 1887, et die 30 iul. 1890 edixit *mulieris excisae matrimonium non esse impediendum.* Verum hic agitur de casibus particularibus, in quibus dubitabatur an excisio modo *perfecto* seu *completo* peracta fuisset: quod inter alios confirmant Antonelli (Cfr. *De concept. impot. et sterilit.* n. 127), et Bucceroni, qui subdit id sibi declaratum fuisse ab E.mo Card. Parocchi, s. Officii Secretario, atque eidem opinioni, unanimi Congressus sententia, adhaesisse E.mum Card. Aloisi-Masella. Cfr. *De sexto*, n. 150.

[3] De impotentia, quatenus constituit *impedimentum dirimens* matrimonium, locutus sum in Parte IV *Theol. Pastoralis*, sub n. 88.

32. — Hic quaeri posset an mulieres et viri *excidendi*, paullo ante, aut paullo post excisionem queant validum matrimonium inire?

R. — Si agatur de priore casu, patet matrimonium valide iniri: tunc enim, seu ante excisionem, possibilitas generationis adest; et id, ceteris paribus, sufficit ad hoc ut matrimonium valide contrahatur; et semel validum semper manet validum, etsi postea generandi possibilitas auferatur. — Quod attinet ad alterum casum, ita respondeo: quod mulier excisa nequeat matrimonium valide contrahere, res in comperto est, etsi statim post excisionem illud ineat: et ratio est, quia per excisionem omnis generandi possibilitas statim et in perpetuum ei ablata est. Verum non idem dicendum est de eo, qui in virili aetate eunuchus evasit. Sane cum certum sit semen in testiculis elaboratum asservari in vesiculis seminariis, atque non ex illis, sed ex istis in eiaculatione derivare, ac per uretram emitti: cumque ablatio testiculorum non secumferat seminis, quod in vesiculis continetur, expulsionem: dicendum est etiam post excisionem manere in praefato eunucho possibilitatem generandi. Quod testatur inter alios etiam Antonelli, qui ait: « Si ablatio testiculorum peracta fuit parvo abhinc tempore (puta aliquot dies), foecundatio est possibilis, quia semen vesicularum non statim resorbetur, vel degenerationem adiposam patitur. Si vero ablatio a longo tempore peracta fuit, foecundatio omnino impossibilis perpetuo fit. Absentia testiculorum quoad generationem penitus respondet carentiae certae ovariorum in foeminis... Quanto tempore post excisionem testiculorum potest permanere semen foecundum, non constat... At non videtur nisi per aliquot dies in viro posse semen foecundum persistere, dummodo post operationem statim coitum non exerceat, quia post binas aut tres emissiones actum est de semine, cum vesiculae seminariae parvae sint capa-

citatis » [1]. Si igitur res ita est, patet matrimonium in casu saltem *statim* post excisionem initum, ut validum retinendum esse.

DE FOECUNDATIONE ARTIFICIALI.

33. — Quando ob aliquam accidentalem causam, quae se habere potest tum ex parte mulieris, tum ex parte viri semen virile organa genitalia mulieris ingredi non potest, et ceteroquin coniuges adhuc iuvenes prolem valde desiderant, ad foecundationem artificialem recurri solet. Ex quibus eruitur artificialem foecundationem esse remedium invectum ad obviandum quibusdam casibus sterilitatis, et cum fiat ex desiderio filios procreandi, patet eius finem esse *bonum* atque *honestum*. — Foecundatio *artificialis* fit sequentibus modis :

a) Vir per manusturbationem semen emittit ac colligit in quodam vasculo. Recollectum vero per aptum instrumentum, puta per syphunculum, ipse vel alius in hac re peritus in mulieris vaginam uterumque iniicit.

b) Vir mediante involucro membrum virile obtegit, ac sic copulam peragit. Dein se retrahit, semen in involucro collectum educit, et per aptum instrumentum prout supra in organa genitalia mulieris immittit [2].

---

[1] Cfr. l. c., vol. I, n. 287.

[2] Ut foecundatio suum effectum facilius sortiatur, haec requiruntur : — *a*) ut vir semine apto (bonis scilicet multisque *nemaspermatibus* referto) praeditus sit; — *b*) ut foemina in utero et ovariis minime sit infirma, sed perfecta sanitate polleat; — *c*) ut tempus sit opportunum, prout circa epocham menstruationis esse solet; — *d*) ut instrumentum, puta *syphunculus*, quo semen immittendum est, calefiat; — *e*) ut foemina, suscepto semine, per 24 horas supina iaceat in lecto.

c) Vir, copula modo naturali peracta, se retrahit, et semen in mulieris vagina eiaculatum vel digitis vel per praefatum instrumentum in uterum introducit.

34. — Invecta foecundatione artificiali, non defuerunt ex theologis, qui eam ut licitam traderent. Verum S. C. S. Officii die 24 martii 1897 ad propositum dubium: « *An adhiberi possit artificialis mulieris foecundatio ?* » — respondit: « *Non licere* »; quam responsionem S. Pontifex Leo XIII die 26 aprilis approbavit. Sed nunc quaerunt theologi an vi huius declarationis censeatur prohibitus quilibet ex praefatis modis foecundationem artificialem peragendi; et videntur omnes negare, animadvertentes declarationem s. Officii respicere tantummodo artificialem foecundationem *proprie dictam*, seu quae velit obtineri per emissionem seminis, habiti mediante manusturbatione. Ita inter alios sentit Antonelli, qui ait: « Notandum hac S. O. resolutione artificialem foecundationem *proprie dictam* illicitam tantum declarari, non vero omnes operationas, quae opus naturae aliquo modo adiuvant: hinc ex. gr. non videtur esse illicitum siquis... copulam physiologico modo perageret, et postea sive digitis, sive syphunculo, semen, in vaginam iam immissum, ulterius usque ad ostium uteri impelleret ad foecundationem certius obtinendam. Ratio est, quia foecundationis nomine proprie dictae intelligitur immissio seminis habiti *per manusturbationem* in vaginam foemineam; in casu nostro cum copula naturali modo peracta sit, et semen iam vaginam possideat, non videtur aliquid illiceitatis prae se ferre ulterior immissio per digitos aut syphunculum in organa interna mulieris. Ratio vero illiceitatis in casu S. O. videtur esse quod pollutio voluntaria sit semper malum seu peccatum, et nunquam liceat bonum aliquem effectum ex malo uti

causa habere » [1]. Consonant Eschbach [2], et Génicot [3]. Itaque ex praefatis tribus modis artificialem foecundationem perficiendi *primus* et *alter* prorsus *illiciti* habendi sunt; *tertius* vero, saltem probabilius, *licitus* est.

Quid dicendum, si vir utatur semine habito per pollutionem involuntariam, aut mediante copula imperfecta, cum non possit perfectam peragere? — Puto in utroque casu *licitam* esse foecundationem artificialem. Ratio patet ex superius dictis: neque enim in hisce casibus semen adhibendum in artificiali foecundatione, per *manusturbationem* obtinetur.

35. — Quando foecundatio artificialis est illicita, neque vir potest eam peragere, neque mulier potest in eam consentire. — Sed quid iudicandum, si vir *gravissimum* damnum pati debeat, nisi prolem suscipiat, neque eam habere possit, nisi mediante dicta foecundatione; vel si mulier ad eam admittendam adigatur a viro minis gravium malorum?

R. — Ad 1^{um}. Cum artificialis foecundatio *illicita*, sit illa quae fit per semen habitum mediante manusturbatione, cumque manusturbatio *nunquam* sit licita, sequitur virum in proposito casu potius pati debere gravissimum damnum, quam tali modo prolem obtinere.

Ad 2^{um}. Cum mulier in admittenda artificiali foecundatione *passive* tantum se habeat, patet ei licitum esse ita se gerere ad *removenda* a se gravia mala; non item si de malis *levibus* ageretur. Attamen ei nunquam liceret se instrumentum *activum* praebere ad virum polluendum, quia

---

[1] Cfr. l. c., vol. II, n. 862. — [2] L. c., pag. 70. — [3] *Op. Mor.*, vol. II, n. 545, etc.

talis actio secumfert cooperationem actui, qui *nunquam* licet.

36. — *Quaeritur* an artificialis foecundatio modis *illicitis* peracta *unum* vel *plura* peccata constituat?

R. — 1°. Si foecundatio artificialis fiat inter legitimos coniuges, puto esse *unum* tantummodo peccatum *grave:* scilicet in casu haberetur solum peccatum *manusturbationis*, vel *onanismi*: qui actus non desinunt esse illiciti, etsi ad bonum finem, seu ad prolis procreationem, ordinentur. Analogum casum habes in eo, qui furatur ad faciendam eleemosynam.

2°. Artificialis foecundatio, si peragatur inter solutos, seu inter eos qui in concubinatu vivunt, vel solo matrimonio *civili* coniuncti sunt, imprimis constituit peccatum *grave* ratione vel *manusturbationis*, vel *onanismi*, vel *fornicationis*. Insuper ipsa foecundatio artificialis aliud peccatum *grave* constituit, utpote quia est causa prolis *illegitimae*. Attentis vero peculiaribus circumstantiis, possunt adesse etiam aliae *graves* malitiae species, puta *adulterii, sacrilegii*, etc.

37. — *Quaeritur* an ex foecundatione artificiali oriatur *impedimentum affinitatis*?

R. — Affinitas oritur quando vir et foemina fiunt *una caro:* quod accidit (in sententia quae mihi *verior* censetur) cum semen virile, seu melius *nemasparmata* cum *ovulo* foemineo commiscentur. Et siquidem constet de secuta commixtione ob prolis conceptionem, de *impedimento affinitatis* contracto aeque constat. Verum cum praefata commixtio sit factum internum, quod etiam coeuntes saepe latet, statutum est ut, posita copula *per se* apta ad generationem, dicta commixtio praesumatur, ideoque praesumatur etiam contracta affinitas, usque dum de opposito,

seu de non secuta commixtione non constet. — His praemissis, respondeo ad propositam quaestionem.

a) Si ex foecundatione artificiali reipsa concipiatur vel nascatur proles, de exorta affinitate dubitari non potest: affinitas enim est quid *naturale*, consanguinitatis instar, minime vero quid mere *iuridicum*. Neque vero obstare potest quominus oriatur affinitas, illiceitas modi, quo foecundatio artificialis peragatur, quemadmodum non obstat illiceitas copulae fornicariae.

b) Indubium etiam est oriri *affinitatem*, quando in foecundatione artificiali peragenda adhibetur *tertius* modus (cfr. supra): nam hoc in casu non excluditur copula *naturalis* perfecta, apta ad generationem, sed, hac supposita, adhibetur instrumentum ad hoc, ut *nemaspermata* uterum facilius ingrediantur.

c) Si vero in artificiali foecundatione adhibetur *primus* vel *secundus* modus, num oriatur affinitas, meo iudicio dubitandum non est: nam foecundatio artificialis, etsi fiat per semen habitum mediante *pollutione*, sive voluntaria, sive etiam involuntaria, vel *onanismo*, si necessariae adhibeantur cautelae, et a persona perita peragatur, effectum sortitur. Ex quo sequitur quod, sicut ordinarie potest praesumi ex tali artificiali foecundatione oriri generationem, ita praesumi potest oriri *affinitatem*.

Fortasse aliquis dicet, ideo in praefatis casibus non oriri *affinitatem*, quia non intervenit *copula naturalis*. Sed respondetur hanc, licet sit medium naturale et ordinarium ad habendam generationem, posse in quibusdam casibus suppleri per media artificialia. Sane Sanchez non dubitat asserere matrimonium *consummari*, quoties semen recipiatur intra vas naturale mulieris, *quacumque arte id fiat* [1]. Si

[1] L. VII, disp. 99, n. 37. — Consonat etiam Sylvius, *Supplem.*, q. 58, a. I.

igitur tali modo *consummari* potest matrimonium, etiam *affinitas* eodem modo contrahi potest. Insuper si ad hoc ut oriatur affinitas requireretur copula naturalis, illa non exurgeret etiam in casu, quo per foecundationem artificialem nascatur proles: quod a vero alienum esse evidenter apparet.

38. — Quod attinet vero ad *gradus*, intra quos talis affinitas matrimonium dirimit, dicendum est illud dirimere usque ad 4.^{um} vel 2.^{um}, iuxta quod modus adhibitus in artificiali foecundatione fuit *licitus*, aut *illicitus*.

DE QUIBUSDAM OPERATIONIBUS CIRCA MULIERES FOETUM ENITI NON VALENTES.

39. — Huiusmodi operationes aliae directe respiciunt *matrem;* aliae vero directe respiciunt *prolem*.

40. — **De operationibus directe matrem respicientibus.** — Praecipuae sunt:

41. — **Operatio caesarea.** — Operatio caesarea (a *caedo*) consistit in hoc, quod mulieri praegnanti, quae, ob angustiam pelvis aut ob alias causas, foetum via naturali eniti non potest, venter ac uterus aperiuntur, ut inde foetus educi possit. — Qui sic ex utero matris extrahuntur, dicuntur *caesones*. — *Veteres* habebant operationem caesaream ut remedium valde asperum, magnum tormentum, graves cruciatus, et dolores atroces secumferens. — *Hodie*, attento progressu artis chirurgicae, et adhibendo chlorophormium, talis operatio citra periculum mortis, ac sine omni fere dolore peragitur. Attamen *graves* consequentias postea adducere potest, ut infra dicetur.

Iudicium morale. — Ut iudicium morale de operationis caesareae *liceitate* recte feratur, distinctio facienda est inter mulierem *viventem*, et mulierem *demortuam*.

I. — Si mulier sit *vivens*, operatio caesarea tunc solum *licita* est, cum ex una parte adest fundata spes fore ut operatio felici exitu peragatur (de quo ad medicum spectat iudicare), et ex altera operatio est medium exclusive aptum ad vitam matris servandam. Hisce exstantibus, eo magis, ut patet, evadit *licita*, si una cum vita matris servari queat etiam prolis vita tum temporalis, tum spiritualis.

An vero mater ad servandam propriam vitam, aut ad servandam vitam temporalem et praesertim spiritualem prolis *teneatur* operationem caesaream subire, faciendae sunt tres hypotheses, nempe quod mors matris sit *certa;* quod sit *probabilis;* quod sit *improbabilis*.

Si 1.^{um}, mater, omnibus consentientibus, neque tenetur, neque licite potest operationi se subiicere: *nunquam* enim licitum est seipsum vel alios *directe* occidere ad servandam sive propriam sive alienam vitam tam *temporalem*, quam *spiritualem*.

Si 2.^{um}, mulier non tenetur subire operationem ad servandam propriam vitam temporalem, quia nemo tenetur ad propriam vitam temporalem servandam adhibere *media extraordinaria*. Neque tenetur ad operationem subeundam, ut servet vitam temporalem prolis: *caritas enim non obligat cum gravi incommodo*. — Si vero agatur de servanda *vita spirituali* prolis, *controvertitur* inter doctores an mater operationem subire teneatur. *Probabilius* negandum est, quia non apparet urgens ratio, cur mater obligetur ad seipsam exponendam probabili mortis periculo, cum prolis saluti spirituali sufficienter prospici possit, quatenus dum manet in utero matris, baptizari potest (sub *conditione* tamen) mediante apto instrumento per viam naturalem introducto. Cum vero

(ut infra dicetur) foetus supervivere possit per aliquod tempus post matris mortem, ea demortua, extrahi potest, ac sub *conditione* iterum baptizari.

Si 3.um, item *probabilius* negandum est: quamvis enim ex hypothesi mors matris sit improbabilis, tamen operatio caesarea gravia imo gravissima incommoda semper secumfert. « Timor ipse, qui praecedit, animadvertit Capellmann, peior est operatione ipsa, quia incisio ventris atrocem horrorem hominibus (praesertim foeminis praegnantibus) incutere solet » [1]. Verum habetur amplius, quam simplex timor. Cl. Antonelli cum Morisani notat praeterea quod per incisionem uteri difficillimum est, quicumque modus suturationis adhibeatur, quod margines excisi perfecte inter se cohaereant, ita ut impossibilis fiat effusio sanguinis et puris in cavitate ventris. Insuper pars excisi uteri ordinarie suppuratur, et suppuratio potest offendere graviter partes internas abdominis aut externas. Tandem, aliis omissis, subsequens praegnatio mulieris satis probabiliter eius mortem adducit [2].

Itaque concludo cum verbis Génicot[3]: « *Probabilius mater nunquam tenetur ad subeundam operationem caesaream*... qua foetus ex utero extractus baptizari possit... Quare censemus reliquendam sententiam plurium etiam recentiorum, opinantium, saltem speculative, adesse obligationem pro matre subeundi operationem caesaream ad procurandam salutem spiritualem infantis... Dissensus tamen iste speculativus est potius, quam practicus: nam huius sententiae fautores addere solent: non expedire ut mater, quae vehementer a tali operatione abhorret (de qua sola oriri posset difficultas), sub gravi adigatur ad eam subeundam »[4].

---

[1] Cfr. Med. Past. pag. 20. — [2] Cfr. l. c., t. II, n. 92. — [3] Cfr. t. II, n. 144.

[4] In mea *Theologia Pastorali*, p. I, n. 73, secutus sum sententiam *affirmantem* obligationem ex parte matris subeundi operationem caesa-

Ceterum recolendum est infantes decedentes sine baptismo haud reproborum addici poenis, nec ulla poena positiva affici; unde etiam facilius matres excusari possunt a praefata operatione subeunda. — Insuper animadvertendum est quod in *praxi* vel adest medicus, vel non. Si *primum*, ipse potest baptismum conferre foetui in utero matris: quod sufficit; si *alterum*, operatio caesarea fieri non potest.

II. — Si autem mater sit *demortua* (morte *reali*, et non solum apparente, de quo ad medicum spectat iudicare), et spes sit fore ut foetus baptizari possit, operatio non solum *licita*, sed et *obligatoria* est. Et in hoc unanimis est doctorum consensus, quibus praeit s. Thomas, qui explicite ait: « *Si tamen mater mortua fuerit, vivente prole in utero, debet aperiri ut puer baptizetur* »[1]. — Hic vero animadvertendum est veritati minus consonam haberi eorum doctrinam, qui dicunt foetum mori vel antea, vel eodem tempore, vel post quindecim aut viginti minuta a morte matris: constat enim ex multis exemplis a doctoribus collectis, foetum, matre demortua, per plures etiam horas supervixisse[2]. Quod mirum non est, si animadvertatur foetum in utero materno propriam et independentem vitam agere; non nutriri aëris adspiratione, sed succis in placenta contentis; proinde, etiam mortua matre, foetus vivere pergit, donec dicti succi et calor necessarius deficiant. Quare inutile erit ad servandam hic et nunc vitam infantis, os matris demortuae apertum tenere[3]. Potius mediante pannis calidis, aut aliis mediis, nativus calor uteri materni reti-

---

ream. Sed, re melius perpensa, et inspectis gravibus incommodis, quae talis operatio, etiam citra periculum mortis, secumfert, in *oppositam* sententiam abii.

[1] Cfr. p. 3, q. 68, art. 11 ad 3.

[2] Cfr. Antonelli, l. c., t. II, n. 84. — [3] Cfr. Bonal, *De virt. cast.* n. 144.

nendus est, usque dum advocetur medicus pro operatione et foetus extractione perficienda. Tempus vero terendum non est; sed *quam cito* operatio fieri debet, ut maiore certitudine foetus vivus extrahi possit. — Num peccent *graviter* medicus et ii omnes, qui non curant fieri infantis extractionem, *affirmative* respondendum est: verum medicus, qui habet *ex officio* talia peragere, peccat contra *iustitiam*, et fit reus *homicidii;* alii vero, qui ex officio ad id non tenentur, peccant tantum contra *caritatem*, ideoque homicidii rei dici nequeunt; nisi agatur de matris cognatis, aut de iis qui hos repraesentant, qui infantem probabiliter adhuc vivum una cum matre mandant sepulturae, dum non difficulter a medico vel obstetrico obtinere potuissent, ut infantis extractio fieret [1].

Si mulier (ut saepe accidit praegnantibus) morte *apparente* tantum sit affecta, applicanda sunt ea quae superius de muliere *vivente* dicta sunt.

42. — **Operatio porrensis.** — Haec operatio (sic dicta a celebri medico *Porro*, qui primus, an. 1876, eam cum felici exitu in puerpera peregit) consistit in hoc, quod, aperto mulieris praegnantis ventre, dissecto utero, et inde ablata prole, genitalia interna, seu uterus, tubae falloppianae, et ovaria exsecantur ac tolluntur. Quare talis operatio non est nisi vera mulieris *castratio*, et mulier dicitur *excisa.* Operatio porrensis praefertur operationi caesareae, utpote quia haud secumfert gravia incommoda, quae, prout superius dictum est, ex operatione caesarea consequuntur; attamen mulier, quae eam subiit, *absolute et perpetuo impotens* ad concipiendum evadit.

---

[1] Quinam teneantur curare ut operatio caesarea fiat, cfr. *Theologiam Pastoralem*, p. I, n. 73.

Iudicium morale. — Operatio *porrensis* ob felices artis chirurgicae progressus, nullum vel fere nullum periculum mortis ex parte matris inducit. Attamen, ut superius innui, hoc maximum inconveniens secumfert, quod mulier veram *mutilationem* patitur, atque *impotens absolute* et *perpetuo* evadit ad prolem in futurum generandam: desunt enim in ipsa elementa et organa necessaria ad generationem. Hinc quaeritur an operatio porrensis *licita* sit, quando agitur de vita matris tali modo servanda? S. Thomas circa mutilationem humani corporis haec statuit: « *Non licet privatis aliquem quovis membro mutilare, nisi in casu quo membrum hoc, puta propter putredinem, sit totius corporis corruptivum* »[1]. Ex quibus eruitur *licitam* esse operationem *porrensem* in casu. Neque obstat, si forte proles moriatur: cum enim talis operatio directa sit ad prolem simul cum matre servandam, si proles in aliquo casu forte moriatur, id *indirecte* et *praeter* intentionem ac praevisionem accideret. Attamen mulier in operationem consentire debet. Si ipsa nolit eam subire, licite agit: nemo enim ad vitam temporalem servandam, media *extraordinaria* adhibere tenetur. Et id *probabilius* tenendum est, etiamsi agatur de servanda vita tum temporali tum spirituali prolis, non secus ac de operatione *caesarea* dictum est.

Si operatio porrensis fieri velit solummodo ad impediendam futuram praegnationem et necessitatem iterandi operationem *caesaream*, omnes theologi eam licitam esse *negant*, quamvis non sine aliqua formidine de opposito. Rationes praecipuae sunt hae: — *a*) quia non datur in casu iusta et proportionata causa, cur mulier tali mutilationi se subiiciat, cum ipsa, quoties ex praegnatione instet reipsa praefatum periculum, possit se eximere a debito coniugali

---

[1] Cfr. 2, 2, q. 65, art. 1, ad 3.

reddendo; — *b*) insuper certo constare nequit an subsecutura sit nova praegnatio; proinde non debet fieri mutilatio tam gravis ad periculum *dubium* removendum.

43. — **Symphiseotomia.** — Haec operatio consistit in hoc, quod fibro-cartilago ossium pelvis, quae est nimis angusta pro foetus egressu, scinditur, et sic pelvis dilatatur. *Symphiseotomia*, ubi opus fuerit, coniungitur etiam cum artificiali partus acceleratione (de qua infra): quo casu foetus egressus etiam facilior evadit.

Iudicium morale. — Tales operationes, praesertim si simul uniantur, haud continent periculum saltem proximum mortis; ideo licitae sunt. Attamen mater minime tenetur ad illas subeundas, cum remedium *extraordinarium* et *gravosum* in se sint.

44. — **De operationibus directe prolem respicientibus.** — Praecipuae sunt:

45. — **Embryotomia.** — Inter operationes, quibus artificialiter foetus ex utero matris expellitur, recensetur imprimis *embryotomia*, seu sectio ipsius foetus, quae varia sortitur nomina, secundum quod unum vel alterum membrum, quod ad os uteri se offert, per aptum instrumentum chirurgicum discerpitur. Hinc habetur *craniotomia*, seu cranii perforatio; *cephalotomia*, seu scissio capitis sensu longitudinis in duas partes; *decollatio*, idest capitis abscissio: *exenteratio*, seu viscerum extractio (*sventramento*). Ut patet, embryotomia nihil aliud est, nisi *directa* et *immediata* foetus occisio.

Iudicium morale. — *Antiquitus* nonnulli theologi docebant *licitam* esse, ad servandam vitam matris, *embryotomiam*: putabant enim foetum in hoc casu esse iniustum, quamvis

innocentem, matris *aggressorem*. – *Hodie* contrarium tenendum est ex declaratione s. Officii. Quaesitum fuit: « *An tuto doceri possit in scholis catholicis licitam esse operationem chirurgicam, quam craniotomiam appellant* »; et s. Congregatio respondit: « *Tuto doceri non posse* »[1]. Nomine vero *craniotomiae* intelligi etiam ceteras operationes chirurgicas craniotomiae affines, eadem s. Congregatio declaravit die 14 augusti 1889. — Patet vero haud recte a praefatis theologis affirmatum fuisse foetum evadere in casu proposito iniustum matris aggressorem, siquidem aggressio iniusta necessario involvit *actionem* et quidem alteri *iniuriosam*. Atqui imprimis foetus nullam *actionem* contra matrem exercet, cum in alvo materno sit *mere passivus*. Insuper foetus reperitur in utero matris, non ex propria electione, sed ex naturae ordinatione; ideo eius praesentia in utero materno nullam matri infert *iniuriam*. Denique quando mater foetum eniti haud potest, non ob foetus anormalem evolutionem et amplitudinem, sed ob organicum matris defectum, puta ob nimiam pelvis angustiam, matri potius vel organico eius defectui, quam foetui, causa periculi ex parte matris tribuenda est: quod valet praesertim si mater iam ante matrimonium vel conceptionem talem suum organicum defectum noverit. Neque *obiicias* praeterea foetum occidi posse ac debere ad servandam vitam *utiliorem*, seu matris: nam, ut recte animadvertit Bonal: « Utilitas, sive privata sive publica, non est iuris fundamentum; alioquin bona et ipsa vita cuiusque pertinerent ad illum, cui essent utiliora: quo posito, funditus everteretur ius quodlibet, ac terra caedibus obrueretur »[2]. Hinc est quod omnes theologi uno ore docent nunquam licere *directe* personam innocentem occidere, ne ad societatem

---

[1] Die 31 mali 1884. — [2] Cfr. *tract. de virt. cast.* n. 132.

quidem salvandam; ergo tanto minus ad servandam vitam individui. Et id quidem tenendum est etiam in casu, quo *embryotomia* peragi velit primis conceptionis mensibus aut diebus: hodie enim fere omnes pro certo habent foetum animari anima rationali usque a primo momento, quo concipitur. Et quamvis id ut *dubium* admitti velit, tamen etiam in hoc casu *embryotomia* foret illicita: nam illicitum est agere cum periculo, etsi tantum probabili, ne *directe* inferatur alteri grave nocumentum. Quis enim dixerit venatorem posse licite sclopetum explodere in dubio utrum id quod videt semovere post sepem, *homo* sit, an *belua*?

Attamen, animadvertit Génicot, cum solutio quaestionis e solo iure naturali sit valde ardua, ut satis patet ex illa recenti controversia, facilius admitti potest bona fides in medico, qui craniotomiam ceterasque operationes craniotomiae affines exerceat tantum in casu valde raro, quo aliud medium non suppetat ad salvandam matrem; aegre autem in eo qui hoc desperatum medium adhibet ad damna non ita gravia vel certa praecavenda[1]. Quod vero dictum est de *embryotomia*, secumferente foetus occisionem, dici etiam debet de quavis alia foetus mutilatione, quamvis citra mortis periculum exerceatur[2].

---

[1] Cfr. t. I, n. 376.

[2] Quod attinet ad *embryotomiam* animadvertendum est, pro praxi, fere omnibus chirurgis suasum esse vera obligatione se teneri ad dictam operationem agendam, ut mater salvetur; immo in nonnullis regionibus medici lege videntur obligari ad hanc peragendam; hinc quaeri potest quomodo confessarius vel Parochus, ad aegrotanti adsistendum vocatus in hisce casibus, se gerere debeat. — « Respondendum nobis videtur valde prudenter debere confessarium et Parochum procedere in his circumstantiis, et ita se gerere, ut nihil iudicent de casus illiceitate, quum praeviderint monitionem ipsam, in illis adiunctis, nihil proficere, ut *ordinarius* et *generalis* est casus; alioquin mulier, ad operationem

46. — **Abortus obstetricus.** — Nomine *abortus obstetrici* intelligitur eiectio foetus e sinu matris eo tempore, quo foetus vitam *extrauterinam* degere non valet, seu ante *septimum* gestationis mensem.

Iudicium morale. — *Abortus obstetricus*, non secus ac embryotomia, *illicitus* prorsus est. Patet ex seq. declar. s. Officii. Ad quaesitum enim an talis abortus liceret, ut praegnantes graviter aegrotantes salvarentur; eadem s. Congregatio die 25 iulii 1895 respondit: « *Negative,* iuxta alia decreta diei scil. 28 maii 1884, et 19 aug. 1889 ». — Verum, omnibus consentientibus, *abortus obstetricus* est *illicitus*, quando expulsio foetus ordinatur ut *medium* ad matris vitam salvandam. Contrarium vero dicendum, si foetus expulsio rationem habeat *effectus simultanei*, sive *mediati* sive *immediati:* id quod accidit cum ponitur causa, quae natura sua ordinatur quidem ad vitam matris salvandam, sed simul vim habet provocandi foetus expulsionem: puta si matri, quae in vitae discrimen adducitur, non ex praesentia foetus in utero, sed ex aliquo morbo, subministretur pharmacum, quod natura sua valet matrem a morbo liberare, at simul virtutem habet abortum procurandi. In hoc casu cum abortus sit tantum *indirectus* ac *permissivus*, *licitus* est. Attamen requiruntur hae conditiones: — *a*) Ut pharmacum, quod matri

---

inducta a viro vel parentibus vel medico ut vita sibi salvetur, nimiis anxietatibus angeretur; et, amissa bona fide, in qua versatur, si forte per operationem succumbat, magno periculo vitam aeternam amittendi exponeretur. Sacerdos igitur disponat poenitentem ut maximam fiduciam in Deum, in Virginem Immaculatam et Sanctos habeat, confessionem excipiat, ut, si forte per operationem pereat, vitam aeternam acquirat, et, quantum potest, satagat ut foetui baptisma conferatur. Certe nimis dolorosum est sacerdoti huic operationi occisionis foetus assistere; at prudentia et caritas christiana hortantur ad silentium, ne peccatum tantum materiale ob bonam fidem, in qua versantur aegrotans et aliquando etiam medicus, *formale* evadat ». ANTONELLI, l. c., n. 101.

praebetur, sit exclusive aptum et efficax ad matrem salvandam; — *b*) ut morbus, quo mater laborat, non sit levis et minime periculosus; — *c*) ut foetus expulsio minime intendatur; — *d*) sunt qui etiam exigunt, ut proles baptizari possit, saltem in utero matris. Attamen si baptismus nullo modo possit conferri, non ideo tenetur mater a pharmaco sumendo abstinere, siquidem si ipsa pharmacum sumet, salvabitur; dum ex abstinentia sequeretur mors matris, quin occurri possit saluti tum temporali, tum spirituali prolis. — Item licitum est matri pharmacum sumere, si periculum abortus sit *remotum* vel *leve*, et pharmacum, licet non necessarium, *valde utile* ei sit.

Quaeritur an *licitus* sit *abortus obstetricus* in seq. casibus: — *a*) si agatur de reducendo uteri volumine nimis ampliato, mediante punctione membranarum foetum involventium, ex qua punctione provocatur liquidum amnioticum, et consequenter abortus; — *b*) si agatur de removendo tumore uterino, qui periculum maximum ex parte matris secumferat, ex qua tamen operatione abortus sequatur.

R. — *Affirmative* in utroque casu. Ratio est, quia, ut ait cl. Antonelli [1], « Operatio adhibita *directe* et *per se* tendit ad propulsandum periculum matris, quod plene et immediate habetur per punctionem membranarum et emissionem liquidi amniotici in primo casu, et per excisionem uteri in altero, minime per expulsionem foetus, quae indirecte sequitur; aliis verbis bonum non provenit ex expulsione foetus, quod non liceret, sed directe et immediate ex fluxu amniotici liquidi, qui minuit mechanicam amplitudinem uteri, et ex excisione uteri » [2]. Attamen requiruntur etiam aliae conditiones, de quibus superius dictum est.

---

[1] Cfr. l. c., t. II, n. 110.

[2] Liquidum *amnioticum* est quoddam liquidum albidum, in quo foetus iacet immersus. Inservit ad foetum protegendum; sed non satis constat an etiam ad eius nutritionem a natura ordinetur.

Quando abortus est *illicitus*, nefas est illum peragere non solum si agatur de servanda vita temporali matris, sed etiam si servanda foret ipsius fama. Patet ex seq. propositione damnata ab Innocentio XI: « *Licet procurare abortum, ... ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur* ».

47. — **Partus acceleratio.** — Quando mulier, ob pelvis angustiam, aut ob alias causas, foetum absque suae vitae periculo in lucem edere non valet, medici interdum recurrunt ad remedium, quod consistit *in partu accelerando*, seu efficiunt ut mater pariat ante completam foetus evolutionem, attamen tempore, quo foetus vitam extrauterinam ducere possit, idest circa *octavum* vel *septimum* gestationis mensem: quo in casu foetus dicitur *viabilis*. Tali modo non solum matris, sed etiam foetus ipsius vita salvatur, quamvis foetus eo tempore in lucem editus peculiaribus curis indigeat. Imo sunt qui docent esse *viabilem*, saltem in nonnullis casibus, etiam foetum, qui *sextum* mensem iam compleverit, dummodo tamen adhibeatur *incubatio artificialis*, recenter inventa. Reipsa notum est tali incubatione plures ex his foetibus vitam extrauterinam ducere pergisse ac pergere.

Iudicium morale. — *Partus acceleratio*, prout superius describitur, *licita* est. Patet ex seq. declaratione s. Officii. Quaesitum fuit an licita sit partus acceleratio, quoties ex mulieris arctitudine impossibilis evadat foetus egressio suo naturali tempore; et s. Congr. (die 4 maii 1898) respondit: « *Partus accelerationem per se illicitam non esse, dummodo perficiatur iustis de causis, et eo tempore ac modis, quibus, ex ordinarie contingentibus, matris et foetus vitae consulatur* ». Porro inter iustas causas habetur non solum periculum ne mater temporalem vitam amittat, sed etiam, meo iudicio, periculum ne mater graviter laedatur in bonis sive famae sive fortunae, puta si puella, in longinqua regione degens, con-

ceperit ex fornicatione, et nunc, dum est in septimo gestationis mense, absolute cogatur in patriam et ad suos reverti, adeo ut, si praegnans eo adventet, apud concives gravem infamiam, apud suos magnum detrimentum in bonis paternis subitura sit. — Idem dicendum de periculo mutilationis, vel amittendi perpetuo aut ad longum tempus libertatem.

48. — Relate vero ad foetus *ectopicos* [1], an hi licite exsecari ac extrahi possint, *negandum* est, si reipsa constet esse foetus veros ac viventes. — Si autem dubitetur utrum quod mater gerit sit foetus, an merus tumor, neque dubium deponi possit, censet Génicot illud posse exstirpari, nam ius certum matris ad vitam servandam videtur praevalere periculo mere probabili occidendi foetum [2]. Attamen *in dubio* baptismus sub *conditione* ei dandus est.

Si autem ex una parte praesentia foetus *ectopici* sit certa, et ex altera certa sit mors matris et foetus ex spontanea tumoris abruptione, *controvertitur* inter doctores an tumor incidi possit ad matrem salvandam. Cl. Antonelli in hac quaestione resolvenda binos distinguit casus, an scilicet *a*) adsit etiam levissima spes salvandi foetum, quia est certe vel probabiliter *viabilis*; an *b*) foetus certe non sit viabilis, quia est in secundo vel tertio mense suae evolutionis. In *priore casu* putat cit auctor licitam esse tumoris incisionem: foetus enim mors (si forte accidat) non directe, sed *indirecte* tantum ex tumoris incisione sequeretur [3]. — In *altero casu* s. Congr. s. Officii die 5 maii 1902 respondit *negative*, iuxta decretum 4 maii 1898. (cfr. n. 47).

---

[1] Dicuntur foetus *ectopici*, qui evolvuntur non in utero, sed vel in tubis *falloppianis*, vel in *ovariis*, vel in *abdomine*, ubi ovulum foecundatum forte decidit. In hisce casibus praegnatio dicitur *extrauterina*. — Interdum accidit ut habeatur simul praegnatio *uterina*, et *extrauterina*. — Praegnatio *extrauterina* mortem matris saepissime secumfert. — [2] Cfr. t. I, n. 376. — [3] Cfr. l. c., t. II, pag. 83.

PARS PRIMA

CAPUT I.

DE PECCATIS EXTERNIS CONTRA CASTITATEM.

49. — In *Decalogo* lex divina lata est: « *Non moechaberis* »: quibus verbis stricte prohibetur sive *mari* sive *foeminae* usus illicitus organorum prolis generationi inservientium: usus scilicet, qui non habeat pro fine prolis generationem, et quidem in statu legitimi matrimonii. Talis usus illicitus constituit peccatum *contra castitatem.*

50. — Malitia peccati contra castitatem *praecipue* reponenda est in satisfactione *venereae delectationis:* quatenus venerea delectatio, quae a natura tamquam medium et condimentum ordinatur ad legitimam copulam habendam relate ad prolis generationem, constituitur ut *finis,* vel unicus vel praecipuus, actionis. — *Secundario* malitia peccati contra castitatem consistit in *pollutione* vel *distillatione.*

51. — *Venerea delectatio, pollutio* et *distillatio* constituunt totidem peccata *specifice* distincta, utpote quia distinctam ac diversam inhordinationem continent. Sed ad harum

malitiae gravitatem dimetiendam, necesse est sedulo considerare utrum causa, quae voluntarie ponitur, *directe* et *per se*, an *indirecte* et *per accidens* eas excitare valeat, aut vero agatur de eisdem naturaliter ac sponte obortis, seu oboriundis.

ARTICULUS I.

De causis, quae directe et per se delectationem veneream, pollutionem, distillationem excitare valent.

52. — Quoties causa quae ponitur, *directe* et *per se* veneream delectationem, pollutionem aut distillationem excitat, de harum malitia haec statui possunt:

I. — Tum *venerea delectatio*, tum *pollutio* voluntaria, *directe* quaesitae extra statum legitimi matrimonii, constituunt peccatum *grave*, et quidem *ex toto genere suo*. Ratio 1i. petitur communiter ex gravi utriusque inhordinatione, et praesertim ex periculo ne homines utrique obsecundent et assuescant cum maximo individuorum et speciei detrimento: cum enim omnium maxima sit delectatio, quae pollutionem concomitatur, facile homines eam quaererent tamquam summum bonum, et tandem aliquando passione libidinis obcoecati in omnia luxuriae vitia proruerent cum manifesto sui et speciei exitio. Ratio 2i. petitur ex periculo e gradu inferiore perveniendi ad gradum superiorem et completum: nam in hac materia tam lubrica pronum est ut qui libere incoepit, ad ulteriora libentissime procedat. Insuper monent doctores etiam in parva delectatione venerea ac in parva pollutione contineri *quoad essentiam* totam malitiam, quae a lege vetatur, ideoque illam quoque sub *gravi* prohiberi. Hinc etiam non admittunt materiae parvitatem ne actus quidem, qui sunt *proxime praevii* pollutioni aut distil-

lationi (cfr. n. 13): id enim eruitur ex propositione contraria damnata, quae refertur sub n. 86.

Attamen tum delectatio venerea, tum pollutio possunt esse *venialia* subiective, seu ob *imperfectionem actus*. — Insuper omnes conveniunt praefatam doctrinam respuere materiae parvitatem, quando delectatio venerea et pollutio quaeruntur *directe;* minime vero quando *indirecte* seu *in causa* quaeruntur: nam cum in hoc casu dari possint causae graviter vel leviter influentes in eas excitandas, patet non esse semper peccatum *grave* eas sic quaerere, sed posse esse etiam *veniale*, si scilicet causa, quae ponitur, *leviter* influat.

II. — Quod attinet vero ad *distillationem*, prout accidit in maribus impuberibus, in foeminis, in perfecte eunuchis, et in iis qui *vasectomiam* passi sunt, imprimis *controvertitur* inter theologos an distillatio seorsim sumpta a delectatione venerea, quae eam comitatur, aliam malitiae speciem constituat. Inter alios controversiam tangit Piscetta his verbis: « An huic (sc. distillationi) insit malitia specie distincta a malitia actus, quo citra pollutionem (seu distillationem) voluptatem veneream quis sibi procurat? *Negant* aliqui, et in his, ut videtur, Ballerini, qui scribit: satis iam constat in mulieribus, utcumque graviter peccent, non adesse tamen rationem illius *specialis* malitiae, quae pollutioni verae et presse dictae propria est... Ratio huius specialis malitiae est frustranea emissio seminis extra copulam. In hac sententia satis est confessario scire delectationem veneream quaesitam fuisse, v. gr. interfuisse tactus delectationis venereae causa. — At plerique *affirmant*. Ratio est: ille fluxus humoris (etsi ad generationem minime necessarius) natura ad nullum alium finem spectat, praeterquam ad generationem iuvandam, et propter generationem eidem fluxui natura voluptatem adnexuit. Ergo in pollutione foeminea ratio

adest specialis malitiae distinctae a malitia actus, quo sine pollutione (seu distillatione) quaeratur venerea delectatio: idest funditur extra copulam humor, qui natura ad unam copulam ordinatus est»[1]. Hanc alteram sententiam sequor, eamque uti *certam* teneo.

Sed ulterius *controvertitur* utrum distillatio (sumpta prout supra) sit peccatum *grave*, an *leve*. Sententia asserens peccatum *leve*, est saltem *verior*, nam in distillatione non apparet tam gravis inordinatio, prout apparet evidenter in pollutione, seu in virilis seminis dispersione. Attamen Bucceroni contendit excipiendam esse mulieris *puberis* distillationem, quam *graviter* peccaminosam esse docet propter has rationes: *a*) quia distillatio in muliere pubere provocat decisionem *ovuli* (quod est mulieris *semen*); *b*) quia alias mulieres coniugatae, quibus matrimonium onerosum foret, eidem minime vacarent, atque impudicitiis, manusturbationi, et onanismo seipsas darent; *c*) quia s. Poenitentiaria declaravit [2] *graviter* peccare mulieres, quae pollutionem in se excitent tactibus secum habitis in virorum absentia, quamvis hos actus ad viros absentes referant [3].

Verum relate ad *primam* rationem, animadverti potest talem rationem, si aliquid valet, valere tantum pro iis mulieribus, quae ovulationem patiuntur; minime vero pro iis, in quibus ovulatio vel *temporanee* vel *absolute* deest. Quando vero ex distillatione accidere potest ovuli decisio, probandum foret hanc pendere ex humorum secretione, seu ex distillatione; dum e contrario *physiologi* ovuli decisionem, vel melius accelerationem decisionis, e sensu venereo, seu ex venerea delectione, pendere docent. Sed esto ovuli decisionis

---

[1] Cfr. *De lux. et usu matr.* pag. 10. — [2] Die 2 sept. 1904. — [3] Cfr. *De sexto*, n. 100.

causam esse distillationem, tunc dicerem in hoc casu accedere novam malitiae speciem, adeo ut mulier per distillationem voluntariam *tripliciter* peccet: ratione venereae delectationis, distillationis, et ovuli decisionis. Neque dici potest quod distillatio ex eo quod provocet ovuli decisionem ex peccato *levi* fiat *grave*, ita ut unum tantummodo habeatur peccatum; sed dici debet distillationem et ovuli decisionem *duo* esse peccata, eo quia *duo* sunt iura violata: non secus ac qui per leve furtum praebet grave scandalum, non unum, sed *duo* peccata patrat: alterum *leve*, et alterum *grave*. Ceterum in peculiaribus casibus, relate etiam ad mulieres, quae sunt *ovulationis* capaces, semper dubitari potest an ovuli decisio reipsa evenerit, cum haec ex aliis etiam causis dependeat, puta ex ovuli maturitate. — Quoad *alteram* rationem animadvertendum est coniuges, non secus ac solutos, *graviter* peccare ob veneream delectationem, quando haec eum gradum attingit, qui cum pollutione vel distillatione coniungitur; et solum probabiliter peccare *leviter*, quando delectatio venerea in gradibus praecedentibus sistit [1]. Proinde praefatus timor locum non habet. — Relate vero ad *responsum* s. Poenitentiariae, probandum est illud sic datum fuisse, inspecta distillatione, et non potius, attenta venerea delectatione, quae, ut superius innui, quando coniungitur cum distillatione, peccatum *grave* in se constituit. — Quare, meo iudicio, praefata exceptio facienda non est: seu distillatio *seorsim* sumpta a delectatione venerea (quae certe peccatum *grave* constituit) tum in maribus impuberibus ac in perfecte eunuchis, tum in foeminis sive impuberibus sive etiam puberibus *veniale* non excedit; nisi tamen forte mas impubes vel perfecte eunuchus distillationem provocaret cum *affectu* ad pollutionem veram et proprie

[1] Id melius explicabitur infra, sub. n. 169.

dictam: quod foret *mortale*, ideoque in confessione aperiendum.

III. — Quoad attinet ad delectationem *sensualem*, *sensibilem* et *intellectualem* (cfr. n. 16), hae nunquam pertingunt ad peccatum *grave*, nisi quando inducunt periculum *proximum* excitandi venereum delectationem ac pollutionem, aut motus carnales hisce *proxime* praevios (cfr. n. 13).

Imo delectatio *intellectualis* seu aesthetica *per se* nullum peccatum est, cum nullam in se inhordinationem contineat, non secus ac delectatio de qualibet alia re pulchra, sive *naturali*, sive *artificiali*. Proinde qui videns personam perfecte nudam intellectualiter seu aesthetice delectatur admirando eiusdem pulchritudinem, aptam scilicet membrorum ac partium distributionem, collocationem, mobilitatem, plasticitatem, etc., *per se* nullimode peccat; et tota res reducitur ad periculum, quod potest adesse (sed etiam abesse) saltem prava *desideria* ac *complacentias* concipiendi, aut provocandi in se *pollutionem* ac *venereum delectationem*.

53. — In *specie* multae ac variae sunt causae, quae *directe* et *per se* delectationem venereum, pollutionem aut distillationem excitare valent. Omnes vero facile reduci possunt ad *manusturbationem*, ac *fornicationem*.

§ I.

DE MANUSTURBATIONE.

54. — Nomine *manusturbationis*, vel *manustrupationis* intelligitur mechanica partium genitalium fricatio ad finem directe et unice intentum experiendi sensum venereae de-

lectationis [1]. Quando manusturbatio fit usque ad completam voluptatis satisfactionem, tunc accidit *pollutio* aut *distillatio*.

55. — Quod attinet ad differentiam *specificam*, certum est manusturbationem viri non differre a manusturbatione mulieris, si inspiciatur venerea delectatio, vel distillatio inde secuta ; differre vero, inspecta pollutione et distillatione ; quare in confessione pandendum est utrum ex manusturbatione secuta sit *distillatio*, an *pollutio*. Confessarius tamen, si constet de perfecta manusturbatione, arguere potest ex aetate vel sexu poenitentis utrum *pollutio*, an *distillatio* tantum acciderit : recolendum est enim foeminas (sive *impuberes*, sive *puberes*), mares *impuberes*, et eos qui sunt perfecte *eunuchi*, aut *vasectomiam* subierunt, pati solum *distillationem ;* mares vero *puberes* pati etiam *pollutionem* proprie dictam, seu seminis effusionem.

---

[1] Manusturbatio hodiernis temporibus late grassatur inter mares, non modo iuvenes, sed etiam adultos et senes, praesertim si in statu viduitatis versantur. — Foeminae quoque, quamquam minus frequenter quam mares, manusturbationi indulgent, quam exercent vel manu vel instrumentis, saepe periculosis, membrum virile simulantibus. Partes quae foeminae manusturbationi inserviunt, sunt vel *clitoris* vel *vagina*, vel *collum uteri*. Sed in quavis ex his parte fiat, differentia specifica non habetur ; ideo non est necesse, neque expediret, ut confessarius interroget qua parte foemina manusturbationem peregerit.

Saepe foeminae concumbunt inter se, adeo ut una simulet virum, alteri incumbendo ; et interdum copulantur, mediante apto instrumento in vaginam introducto. — Huiusmodi instrumenta, formam habentia *membri virilis*, prostant etiam in commercio, et clandestine venduntur.

Praeterea, ut animadvertit Eschbach, cum foeminarum pollutio passim non sit nisi mera interna exsudatio, ipsae faciliori via, quam mares, repetitis vicibus pollutionem sibi procurare valent. Saepe apud ipsas multoties iteratur in eodem ferme momento. Cfr. l. c., pag. 556.

56. — Siquis *alium* manusturbet, ad dignoscendam qualitatem et gravitatem peccati, videndum est utrum hic inconscienter aut non libere eam subeat, puta parvuli, amentes, dormientes, etc.; an minus. — Si *primum*, qui eam patrat, peccat contra *castitatem*, perinde ac seipsum manusturbaret; peccat insuper ratione *pollutionis* vel *distillationis*, quae in alio e manusturbatione sequatur; et tertio peccat contra *iustitiam*, et quidem *graviter*, propter iniuriam personalem illi illatam, quae *gravis* censetur; *graviter* vel *leviter* vero ratione damni inde forte secuti, puta si foeminae laceratus fuerit hymen, aut si aliena genitalia gravi morbo infecta fuerint. — Si *secundum*, tum qui patrat manusturbationem, tum qui eam admittit, aeque peccant, prout supra, contra *castitatem*, inspecta etiam circumstantia pollutionis vel distillationis.

Huc spectat quaestio, quam tangit Berardi[1], scilicet an incusandae sint peccati *mortalis* contra castitatem matres et nutrices, quae ut infantes a fletu quiescere faciant, eorum genitalia titillant, aliquam delectationem eis sic procurando. Profecto si id frequenter fiat, peccatum, ob pessimas consequentias inde exorituras, est procul dubio *grave*. Si autem *semel* et *iterum* fiat, cit. auctor haeret aneeps, et rem aliorum iudicio relinquit. Ego putarem peccatum esse per se *veniale*. Ratio est, quia dubitari potest *an*, aut saltem *quo gradu*, sensus venereae voluptatis in organis genitalibus adhuc imperfectis excitari valeat[2]. Proinde praefata titillatio fere aequiparari posset vellicationi, quae cum consequenti tactili delectatione fiat in aliis infantilis corporis partibus, puta in mamillis, praesertim foeminae.

---

[1] Pr. t. I, n. 847.

[2] Pueris non esse appetitum *venereum* saltem primo aetatis anno, docet Eschbach. Cfr. num. 13 huius operis.

57. — *Quaeritur* an licita sit manusturbatio ad *pruritum* sedandum, ved ad *dolores* vehementes in partibus genitalibus excitatos consopiendos? *Negat* Capellmann. Ratio est, quia talis manusturbatio importat in casu contrectationes genitalium (*clitoridis* vel *vaginae* in foemina; *penis* in mare). Iamvero illae *directe* et *in se* ita sunt comparatae, ut non solum delectationem, sed ipsam *plenam* voluptatem secumferant[1].

Aliud foret dicendum de tactibus circa partes proximas, puta circa *pellem scroti* in viro; circa *vulvam* in foemina; super *inguine* in utroque: nam cum in hisce casibus agatur de tactibus *impudicis* tantum, hi forent liciti ad pruritum vel molestum dolorem sedandum, etsi *indirecte* excitetur delectatio venerea, pollutio, aut distillatio. Attamen theologi communiter non distinguunt inter praedictas partes. Noldin haec scribit[2]: « Si pruritus est magnus et molestus, et ortum habet ex acrimonia sanguinis, licitum est illum tactu vel fricatione abigere, etiam cum periculo pollutionis, excluso tamen consensu: habetur enim actio cum duplici effectu: *bonus* intenditur, *malus* ex iusta causa permittitur »[3]. Idem docet s. Alphonsus, qui subdit quod in *dubio* utrum pruritus proveniat ex acrimonia sanguinis, an ex ardore luxuriae, *possidet libertas* se liberandi ab huiusmodi molestia per tactum de se licitum. Tunc solum quis abstinere teneretur, quando certo constaret pruritum a libidine procedere. Ceterum, addit s. Doctor, ii qui purita-

---

[1] Cfr. *Med. Past.*, pag. 73. — [2] Cfr. *De sexto*, n. 38.

[3] Ad dignoscendum utrum *pruritus* in verendis originem habeat ex acrimonia sanguinis vel morbo, an ex seminis abundantia, aut ex lubricitate, videndum est utrum ex fricatione peracta *mox* sedatus fuerit, an vero lente et ex parte tantum. Si *primum*, iudicandum est fuisse motum libidinosum, qui, secuta pollutione, statim quievit.

tem amant, monendi sunt ut, quantum moraliter possibile est, se abstineant. Si vero pruritus non sit valde molestus, negat Roncaglia illum licite sic abigi posse[1]. Attamen si ageretur de sola genitalium commotione citra periculum pollutionis (et etiam, ut supponitur, citra periculum consensus in actionem *graviter* illicitam), puto, iuxta superius dicta sub n. 52, III, licere tactu abigere pruritum, etsi non valde molestum. Ratio est, quia incommodum *leve* excusat a peccato *levi*. Si absque consensus periculo id fieri non possit, absolute, ut patet, abstinendum est; simulque ad remedia spiritualia et etiam physica, aliquo medico consulto, confugiendum. Tandem potest accidere casus, et quidem non infrequens, ut quis pruritum patiatur, qui simul ex acrimonia sanguinis atque ex ardore libidinis procedat. In hoc casu docet, inter alios, Berardi eum posse *licite* agere, scilicet intentionem habendo abigendi primum, et abominationem habendo contra secundum[2].

Certum est manusturbationem non esse licitam, puta ad consulendum sanitati, aut ad finiendam tentationem. Quid dicendum, si manusturbatio necessaria sit ad expellendum semen ad hoc ut periculum certae mortis removeatur? Communiter *negant* id licitum esse, scilicet ratione venereae delectationis, et periculi proximi in eam consentiendi. Scribit Eschbach: « Si Creator Deus generationis organa ita disposuisset ut superfluum semen vel nocivum absque libidine effluueret, liceret utique procurare huiusmodi fluxum ad servandam vitam vel sanitatem »[3]. Ex quibus mihi arguere liceat, quod si ergo sensus libidinis, et periculum in ipsum consentiendi removeantur, puta inducendo in patientem *somnum artificialem*, licita evadat manusturbatio in praefato

---

[1] Cfr. l. III, n. 419. — [2] Cfr. Pr. n. 898. — [3] L. c., pag. 550.

casu. Animadvertendum tamen est *nunquam* fortasse accidere posse, ut ad vitam servandam sit necessaria seminis expulsio. Omnes vero concedunt ad vitam servandam *testiculos*, sicut quodvis membrum, licite abscindi posse.

58. — Manusturbatio, etsi ideo dicatur, quia ordinarie *manu* fieri solet; tamen etiam aliis modis, ad id aptis, peragi potest, puta concubendo super obiecta sive inanimata sive animata, vel ea sibi obiiciendo [1]. Ad manusturbationis speciem praecipue reducuntur: *copula cum cadavere; copula cum statua; bestialitas; sodomia; irrumatio.*

I. — **Copula cum cadavere.** — Crimen huiusmodi, quod non raro patratur praesertim cum foemina mortua, constituit, ut patet, peccatum *gravissimum* contra castitatem, induens malitiam pollutionis, si adsit, et etiam, attenta intentione, malitiam fornicationis vel sodomiae *affectivae.* Attamen ad dignoscendum in peculiaribus casibus gradum malitiae subiectivae, inspiciendum est num adesse possint circumstantiae diminuentes vel etiam tollentes actus moralitatem, ut enim animadvertit Antonelli, talis copula aliquando a viro sanae mentis, et ob voluptatem tantum committitur; aliquando vero ab alienatis, vel idiotis, aut aliquo morbo affectis perpetratur. Et certe hic modus satisfaciendi libidini explicari non potest, nisi supponatur inesse in subiecto aliquam morbosam affectionem, quae omnino rationem perturbat et aufert, praesertim si constet cadaver ad talem finem fuisse exhumatum[2]. Fortasse casus frequentior acci-

[1] Quando agitur de instrumento *inanimato*, non est necesse in confessione mentionem iniicere de instrumento adhibito ad manusturbationem obtinendam: est enim indifferens se propriis manibus immediate, vel mediante aliquo instrumento inanimato polluere. Si tamen adfuerit affectus *fornicarius* vel *sodomiticus*, etc. hic pandendus est.

[2] Cfr. *Med. Past.*, vol. II, n. 307.

dere poterit relate ad eos, qui exercent officium cadavera, adhuc forte calida, lavandi ac vestiendi, vel ea invigilandi et sepeliendi.

Si hic casus accidat inter virum et eius uxorem demortuam, patet malitiam huius criminis non ideo per se imminui. Sed quid dicendum, si vir statim post ultimam uxoris expirationem copulam cum ipsa habeat, et dubitetur utrum mors *realis,* an tantum *apparens* sit? Puto huiusmodi copulam *per se* minime illicitam esse. Ratio est, quia quis non censeri debet suo iure excidisse, usque dum de hoc non certo constet; proinde etiam in dubio exerceri potest: nisi quid obstet. Iamvero in casu obstare videretur talis copulae inefficacia relate ad generationem. Sed responderi potest non ideo tamen in casu illicitum evadere usum coniugalem; quemadmodum non evadit illicitus quando, secuta praegnatione, clauditur uterus, vel mulier facta est sterilis aut impotens: quibus in casibus copula est certo inefficax ad generationem. Res vero clarior apparet, si agatur tantum de mulieris deliquio (*sincope*).

Cum cadaver neque iam sit homo, neque bestia, copula cum ipso malitiam non habet vel fornicationis, vel sodomiae, vel bestialitatis, sed *simplicis pollutionis*, sicut concubitus cum pictura, vel statua, vel vestibus, etc. Hinc qui copulam habet cum cadavere puta monialis aut mulieris coniugatae, nec fornicationem, nec sacrilegium aut adulterium patrat, sed committit tantummodo actum simplicis manusturbationis. Attamen in confessione aperienda foret, si adfuerit, malitia fornicationis vel sacrilegii aut adulterii *affectivi*. Fortasse obiicies: in dubio saltem utrum mors sit *realis,* an tantum *apparens*, habebitur in casu proposito *effectiva* fornicatio sacrilega vel adulterina. Sed respondeo in facta hypothesi agi de violatione iuris vel iurium *dubiorum;* iamvero in dubio de iuris violatione, aut de maiore

vel minore iuris alicuius violatione, pro parte benigniore standum est[1].

II. — **Copula cum statua.** — Haec etiam copula, praesertim cum statuis foeminae, passim patratur vel directe, vel apposita circa partes inhonestas carne animalium. De malitia huius criminis idem *iudicium morale* ferendum est, ac de copula cum *cadavere*.

III. — **Bestialitas**, — seu concubitus cum belua. Crimen est inter omnia *gravissimum* contra castitatem, utpote quia ob non servatam identitatem *speciei* maximam naturae humanae iniuriam infert. Dicitur *activa* vel *passiva*, prout homo in concubitu cum belua *active* aut *passive* se habet. Attamen inter utramque differentia *specifica* non datur, et quidem quaecumque fuerit belua vel eius sexus; quemadmodum indifferens est qua parte fuerit cognita, et utrum vas aliquod penetratum fuerit, necne. Ratio est, quia cum agatur de subiectis ad generationem humanam ineptis, tales differentiae in genere morum non attenduntur[2]. Ex quibus sequitur in confessione satis esse pandere *quot vicibus* bestialitatis crimen fuerit perpetratum; addita tamen pollutionis, si adfuerit, accusatione.

Cum *bestialitas* coitum vel concubitum inter hominem et beluam necessario exigat, sequitur tactus impudicos tantum non constituere crimen bestialitatis proprie dictae; nisi forte beluam tangens cum consequente pollutione vel distillatione, cogitaret coire cum ipsa, vel ipsam coire secum: quo casu haberetur bestialitas proprie dicta *affectiva*.

Si peccatum *bestialitatis* sit *reservatum*, non intelligitur

---

[1] Cfr. Partem primam *Theologiae moralis*, n. 43, I.

[2] Cfr. s. Alphonsum, l. VI, n. 474; Salmant., l. VII, 140; Berardi, Pr. I, n. 818, etc.

nisi illud, quod *externe* patratur per verum coitum in vase naturali cum seminis effusione[1].

Ad speciem bestialitatis reducitur *commercium carnale cum daemone,* etsi formam humanam assumat. Talis coitus duplicem malitiam *gravissimam* per se induit: *bestialitatis* et *superstitionis.* Attento autem particulari coeuntis cum daemone affectu, etiam aliae accedere possunt graves malitiae species, prout *sodomiae, fornicationis, incestus, sacrilegii,* etc., praesertim si daemon assumat formam masculi, vel foeminae liberae, aut consanguineae, aut Deo sacrae, etc.

IV. — **Sodomia.** — Est concubitus[2] (etsi *absque pollutione*) vel cum persona *eiusdem* sexus, in qualibet illius corporis parte; vel cum persona *diversi* sexus, sed in vase praepostero. In priore casu sodomia dicitur *perfecta;* in altero *imperfecta.* Utraque est peccatum *gravissimum* contra castitatem. Deformitas sodomiae *perfectae* consistit in accessu ad *sexum indebitum;* dum deformitas sodomiae *imperfectae* consistit in accessu *ad vas indebitum.* Ad hanc refertur sodomia, quae inter coniuges perpetretur. Sodomia *perfecta specie* distinguitur ab *imperfecta;* ideoque in confessione *species* declaranda est, addita mentione de pollutione, si adfuerit. Non est tamen necesse ut poenitens dicat utrum fuerit *agens,* an *patiens,* cum haec duo, omnibus consentientibus, *specie* non differant; vel, saltem probabiliter,

---

[1] Cfr. Salmanticenses, tr. XXVI, c. 7, n. 140.

[2] De ratione *concubitus* est ut corporum ipsorum coniunctio intercedat, adeo ut saltem ex una parte membri genitalis applicatio ad corpus alterius locum habeat sive in vase praepostero, sive inter crura vel brachia, sive in alia corporis parte id fit. Proinde concubitus non habetur, quando aliquis manu, pede, ore vel brachio alterius genitalia tangit, et vicissim ab altero tangitur. Noldin, l. c., n. 42.

ut pandat qua corporis parte concubitus evenerit; vel utrum super nudum, an super vestes; aut utrum pollutio fuerit intra, an extra vas. Certum est pollutionem, si adfuerit, esse declarandam: et ratio est, quia pollutio, iuxta superius dicta, constituit peccatum *grave* distinctum. — Docet s. Alphonsus (n. 466) quod si a personis diversi sexus copula habeatur in parte anteriore, sed extra vas naturale, talis concubitus sit *quid mixtum*, sc. peccati contra naturam, atque peccati copulae exoptatae et inchoatae: quod esset in confessione declarandum.

Si peccatum sodomiae foret *reservatum*, deberet intelligi de sodomia *perfecta*, et quae peracta fuerit cum penetratione vasis indebiti, et seminis effusione intra illud[1]. Unde reservatio afficeret tantum sodomiam, quae *inter mares* (quorum *agens* sit pubes) perpetretur.

Si desit concubitus, et solum quis polluatur ad tactum alterius personae, non habetur sodomia, sed solum pollutio; nisi forte adsit sodomia *affectiva*. Item, scribit Ferraris, non reduceretur ad peccatum sodomiae, si mas se pollueret inter coxendices, brachia, (item inter mamillas), seu alias partes foeminae extra quodlibet vas, quia sic nec haberet affectum ad sexum indebitum, nec ad indebitum vas; ideoque sufficeret in confessione explicare se polluisse cum tactibus vel contactibus impudicis[2]. Contrarium esset dicendum, propter affectum ad sexum indebitum, si res acta fuerit inter duos mares, vel duas foeminas; quamvis, prout supra innui, obligatio certa non adsit declarandi qua corporis parte concubitus evenerit[3].

---

[1] Cfr. SALMANTICENSES, l. c., n. 109.

[2] Cfr. v. *Luxuria*, n. 59.

[3] Sodomia quam late grassetur hodiernis temporibus, dixi in Parte tertia *Theologiae Pastoralis*, sub. n. 17.

V. — **Irrumatio.** — Saepe hodiernis temporibus, sive inter solutos sive inter coniuges, exercetur manusturbatio, et quidem usque ad completam voluptatem, mediante alterius personae (tum eiusdem, tum diversi sexus) *ore, labiis* vel *lingua:* quo casu habetur illud quod theologi *irrumationem* appellant. Huiusmodi manusturbatio certe *physice* foedissima est, et causa gravium malorum. Est quidem peccatum *grave;* sed non satis convenit inter theologos utrum sit manusturbatio *simplex,* non secus ac ea quae fiat mediante alterius manu vel pede, an vero sit manusturbatio *qualificata,* quae irrumatio dicitur, aut ad *sodomiam* reducatur[1]. Ego puto agi de manusturbatione *simplici* tantum, cum circumstantia notabiliter aggravante; eamque ad sodomiam reduci non posse, nisi in casu, quo inter personas *eiusdem* sexus simul cum concubitu peragatur. Si vero habeatur, etsi cum concubitu, inter personas *diversi* sexus, foret simplex manusturbatio, procurata ex contactu alterius personae, iuxta doctrinam, quam in num. sup. ex Ferraris retuli.

59. — Superius actum est de *manusturbatione,* praescindendo ab iis circumstantiis, quae addere possunt alias et quidem graves malitiae species, non secus ac infra dicetur de *fornicatione.* Hinc simplici manusturbationi addit potest, in sensu *proprio* vel *improprio,* malitia *sacrilegii, incestus, adulterii, stupri, raptus,* etc., secundum quod manusturbatio perpetrata fuerit a persona aut cum persona Deo sacra, vel cum consanguinea aut affini, vel a coniugata aut cum coniugata, vel cum persona invita, aut violenter abducta, etc.

---

[1] Cfr. s. Alphonsum, l. III, n. 466.

§ II.

DE FORNICATIONE.

60. — *Fornicatio* est copula in vase naturali, quae ex mutuo consensu patratur inter personas diversi sexus, nullo inter se legitimi matrimonii vinculo ligatas. Conceptus fornicationis *effectivae* necessario supponit copulam viri in vase naturali mulieris, et quidem *viventis*, licet non sit compos, et viri pollutionem saltem ad ostium vasis muliebris, seu vaginae. Non requiritur ut ex copula sequi possit generatio. Quare habetur fornicatio, etsi vir utatur involucro (*guanto*), aut sit eunuchus; vel si mulier careat utero, aut hunc, ratione praegnationis, occlusum habeat; non item si vagina ostio careat, quia tunc copula nullo modo est possibilis, nisi, ut interdum accidit, vagina communicet cum vase praeposteto, et vir in hac parte copuletur. Si vir copulam habeat, quin seminet, talis copula reducitur ad *tactum impudicum*. Si vero vas mulieris vir minime penetret, et semen effundat tantum ad ostium eiusdem vasis, huiusmodi concubitus foret *quid mixtum* actus *contra naturam*, et fornicationis exoptatae et inchoatae (cfr. n. 58, IV). Quare omnes hae circumstantiae in confessione aperiendae sunt.

61. — Fornicatio est peccatum *grave* contra castitatem: quod probatur expresse ex Scripturis, Apostolus enim dicit: « *Omnis fornicator aut immundus... non habet hereditatem in regno Christi et Dei* » (Ad Eph., V); et alibi: « *Manifesta sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia*, etc.... *qui talia agunt, regnum Dei non consequentur* » (Ad Gal., V).

Verum fornicatio non solum prohibetur iure *positivo*, sed etiam *naturali*. Patet ex seq. propositione ab Innocentio XI damnata: « *Tam clarum videtur fornicationem se, cundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur* ». Hanc rationem vero adducunt theologi: quia *vagus concubitus* (prout in praefata propositione intelligitur fornicatio) quam maxime adversatur rectae prolis procreationi ac educationi, et consequenter humani generis conservationi. Ex quo arguere licet, quod, si uniones fornicariae a *civili* potestate aptis legibus, praesertim *unitatis* ac *indissolubilitatis*, regerentur, eae contra ius *naturale* minime forent.

62. — Fornicatio, non secus ac *manusturbatio*, est peccatum *grave ex toto genere suo* (cfr. n. 52). — Est vero duplex peccatum *grave* ex parte utriusque coeuntis, scilicet ratione venereae delectationis, et ratione prolis illegitimae, quae procreatur. Si vero generatio sit impossibilis, aut si coeuntes convenerint de impedienda generatione, tunc *bis* peccant, non secus ac si actum manusturbationis exercerent; seu peccant ratione *venereae delectationis*, quae in utroque *mortale* est, et ratione *pollutionis*, quae in mare, si pubes sit et capax generandi, *grave* est, in foemina vero *veniale* peccatum.

Fornicatio ordinarie licita evadere non potest ad consulendum saluti, aut ad evitanda mala simpliciter gravia. Quare ut *graviter* illicita habenda est praxis nonnullorum medicorum materialistarum, qui ad impedienda manusturbationis detrimenta, suadent iuvenibus, tali vitio affectis, aut ad libidinem valde proclivibus, mulierem semel in hebdomada adire. Ceterum tali praxi dum unum malum vult praecaveri, aliud non minus grave procuratur. Ex alia parte

remedia ad libidinem compescendam, vel saltem minuendam, non desunt. — Attamen, remoto consensus periculo, fornicatio licita evadere potest ad evitanda mala *gravissima* imminentia, puta si foemina sub metu mortis aut mutilationis, etc. ad fornicandum adigeretur (cfr. n. 67, b); vel si fornicatio necessaria foret ad sigillum sacramentale servandum[1].

63. — Qui copulam fornicariam incoepit, quamvis iam peccaverit peccato fornicationis saltem *affectivae*, potest, imo tenetur ab ea desistere, non solum quia omni tempore a fornicatione, antequam haec compleatur, desistere tenetur, sed etiam quia impedire debet ne mulier evadat gravida, et proles illegitima concipiatur. Et haec quidem valent etsi ob naturalem irritationem sequatur pollutio, quae in casu *involuntaria* foret. Consonat Bucceroni, qui ait: « Quicumque inchoavit fornicariam copulam... licite potest absque novo peccato, et debet se retrahere, quamvis propter naturae irritatae impetum semen sit emittendum extra vas naturale; imo etiam postquam persona complex iam seminavit. Ratio est, quia fornicans omni tempore ante completam fornicationem tenetur desistere a peccato; desistendo autem a copula desistit a peccato, quod semper licitum et debitum est. Ergo, si tunc sequatur pollutio, non censetur voluntarie causata, sed permissa tantum ob iustissimam causam desistendi a peccato coepto fornicationis vel similis » [2]. Hinc etiam patet licitum esse in casu generationem impedire, semen forte intro mulieris vaginam effusum expellendo, vel nemaspermata per aptas ablutiones interimendo.

---

[1] Cfr. Partem tertiam *Theologiae Pastoralis*, n. 63.

[2] Cfr. *De Sexto*, n. 44. — Idem sentiunt Sporer, Struggl et Billuart a Bucceroni citati.

64. — A fornicatione, prout superius definita est, *specie* non differt *concubinatus*, qui est habitualis inter praefatas personas fornicatio, sive in eadem domo, sive etiam separatae vivant [1]. — Idem dicendum de *meretricio:* quo nomine intelligitur conditio earum foeminarum, quae ad usum sui corporis omnibus ex mercede concedendum semper paratae sunt [2]. — Certum est etiam fornicationem inter *solutum* et *viduam*, et viceversa, aut *inter viduos*, aliam malitiae speciem non induere. — *Probabilius* est a simplici fornicatione minime differre fornicationem personae fidelis cum infideli, ex. gr. Iudaea, vel Turcissa: nam nullo iure probatur infidelitatis circumstantiam secumferre novam malitiae speciem; tamen peccatum censetur *gravius*.

65. — Superius actum est de fornicatione *simplici*. Verum accidere potest ut sive ex parte personae eam perpetrantis, sive ex parte personae, quacum perpetratur, adsit aliqua ex iis circumstantiis, quae mutant speciem moralem, seu, melius, quae addunt aliam vel alias, et quidem graves,

---

[1] Quomodo confessarius se gerere debeat cum *concubinariis* sive occultis sive publicis, praesertim *in articulo mortis*, cfr. Partem primam *Theologiae Pastoralis*, nn. 58-61.

[2] Ut mulier *meretrix* dici possit, saltem plures quam duos viros admittere debet: seu meretrix est quae multorum libidini patet, ex cap. *Meretrices* 11, caus. 32, q. 4; proinde si poenae in meretrices statutae sint, hae intelliguntur. — Principes sine peccato tolerare possunt meretrices in suis ditionibus ad evitanda mala maiora. S. Thomas, 2^a 2^{ae} q. 10, art. 11. Et s. Augustinus ait: « *Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus* ». *De Ordine*, cap. 4. — Meretrices facile evadunt steriles: plura enim ac diversa semina in matricem recepta generationem impediunt; vel etiam abortum faciunt, aut procurant. — Num liceat locare domos *meretricibus*, cfr. Partem alteram *Theologiae Moralis*, n. 264.

malitiae species. Hinc fornicatio varias denominationes, diversasque species sortitur, et habetur *stuprum, adulterium, incestus, raptus, sacrilegium.* — De singulis.

66. — **De stupro.** — Stuprum est fornicatio per vim habita cum muliere non consentiente [1]. Stuprum peccato *gravi* fornicationis superaddit peccatum *grave* contra iustitiam. — Vis autem quae infertur mulieri, potest esse vel 1° *physica,* cui mulier resistere non valeat; vel 2° *moralis,* quae nempe adhibeatur mediante vel *metu gravi,* etsi reverentiali; aut *dolo,* puta si mulier falsa promissione matrimonii aut magnae dotis ad copulam adacta fuisset, nisi tamen dolum facile percipere potuisset; aut si mulier ob suam ignorantiam vel simplicitatem adacta fuerit ad copulam perpetrandam, ei persuadendo eam esse licitam; item si mulier victa fuerit precibus adeo importunis et diuturnis, ut hae *violentiam moralem* constituant.

Ad habendum peccatum stupri indifferens est utrum mulier sit adulta, an puella; coniugata, an vidua; vigilans, an dormiens, aut quovis modo non sui compos; proinde non est necesse tales circumstantias in confessione aperire. Attamen datur obligatio revelandi in confessione damna, quae ex stupro forte secuta sint, praesertim si stuprum perpetratum fuerit cum foemina *virgine.* Quod confirmat Noldin cum Sanchez, inquiens: « Qui opprimit virginem invitam, proprie *duplicem* iniuriam committit, cum eius corpore contra voluntatem ipsius abutatur, et insuper virginitate eam privet

---

[1] Definitio stupri, superius adducta, est in sensu *theologorum.* In sensu Iuris canonici definitur: « *Illicita defloratio virginis* ». Prior definitio praefertur. — Si tamen stuprum cadat sub *censura* aut *reservatione,* intelligitur iniusta defloratio virginis; nisi superior aliud expresse significaverit.

claustrum virginale dilacerando » [1]. Idem videtur dicendum, si agatur do foemina *bonae famae*, et stuprum culpa stupratoris evulgatum fuerit.

67. — Verum haec praeterea notentur:

a) Corruptio virginis per stuprum non violentum reducitur ad peccatum simplicis fornicationis. Attamen mulier in sui defloration consentiens, committit etiam peccatum *prodigalitatis*, bonum scilicet maximum virginitatis abiicendo; sed tale peccatum non est mortale [2].

b) Mulier per vim oppressa non potest *passive* aut *permissive* se habere; sed debet resistere tum *interne*, ne rebus venereis consentiat, tum *externe*, media ordinaria, quae ei suppetunt, adhibendo, ad stuprum removendum. Dixi *ordinaria:* nam certum est non teneri ad *extraordinaria*, puta ad aggressorem graviter vulnerandum, aut ad se interimendam, aut ad clamandum cum periculo gravis infamiae aut verecundiae [3]. Neque etiam tenetur ad media *ordinaria*, si secus pati deberet malum gravissimum, puta mortem, mutilationem, vel alia huiusmodi. Attamen recte notat Berardi casum mulieris violatae absque culpa propria, non adeo esse frequentem. Nec facile contingit quod vir delectationem turpem captare velit a muliere invita, reluctante, lugente, etc. Interdum, subdit cit. auctor, naturalis foeminarum timiditas, et confusio ob aggressionem impro-

---

[1] Cfr. l. c., n. 24.

[2] Noldin, l. c.

[3] Quamvis non detur obligatio opponendi resistentiam *extraordinariam*, tamen licitum est mulieri oppressae eam opponere, percutiendo, et si opus sit, etiam occidendo iniustum virginitatis aggressorem. Cfr. Partem primam *Theologiae Moralis*, n. 287, pag. 228.

visam, efficiunt ut mulier resistentiam *pro posse* non opponat, et nihilominus a culpa (saltem formali) immunis sit[1].

c) An mulier vi oppressa possit expellere semen (puta vaginam abluendo), ita Sanchez: « Certum reputo, nisi incontinenti semen expulerit, non posse postea: incontinenti autem valde probabile est mihi, posse »[2]. Sed puto posse id facere etiam aliquanto post; neque in hoc est periculum abortus, nam, praeterquamquod conceptio non coincidit cum copula, expulsio seminis non nocet foetui, qui iam sit conceptus[3].

68. — **De adulterio.** — Adulterium definitur *violatio proprii* vel *alieni tori;* et locum habet: *a*) si coniugatus vel coniugata copulam patret cum soluta vel soluto; *b*) si solutus vel soluta copulam patret cum coniugata vel coniugato; *c*) si coniugatus copulam patret cum coniugata, et viceversa. In adulterio peccato *gravi* simplicis fornicationis accedit peccatum *grave* contra sanctitatem unitatemque matrimonii; praetereaque peccatum grave *iniustitiae* erga compartem innocentem, dicente Apostolo: « *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier* »[4]. Si uterque adulter sit coniugatus, praefata peccata duplicantur; ideoque ea circumstantia in confessione aperienda est.

Adulterium patratum cum coniugata censetur *gravius* peccatum prae adulterio, quod patret coniugatus cum libera. Ratio est, quia in priore casu graviora inconvenientia oriri

---

[1] Cfr. Pr., t. I, n. 825.

[2] L. II, XXI, 17.

[3] Circa *obligationem,* et *modum* reparandi damna ex parte stupratoris, cfr. Partem primam *Theologiae Moralis,* n. 284.

[4] 1. Cor., VII, 4.

solent, prout gravidatio, prolis incertitudo, intromissio in familiam falsorum heredum, et non raro, si adulterium frequens sit, mulieris adulterae sterilitas, etc. Adulterium cum infideli coniugata, ceteris paribus, minus est peccatum, quam cum christiana, quia in priore casu non fit iniuria sacramento. Per accidens tamen potest esse maius, si puta infideles propter hoc ab amplectenda fide avertantur[1].

Adulterium aeque patratur, etsi matrimonium necdum fuerit consummatum; vel quamvis facta fuerit separatio quoad torum et habitationem[2].

69. — *Quaeritur* an peccatum adulterii reducatur ad peccatum simplicis fornicationis, si alter coniux in violationem proprii tori ultro consentiat?

R. — Negandum est, prout patet ex seq. prop. 50 damnata ab Innocentio XI: « *Copula cum coniugata, consentiente marito, non est adulterium, ideoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum* ». Ex qua damnata propositione eruitur malitiam peccati *adulterii* manere, etsi alter coniux consentiat: et ratio, iuxta Ballerini, haec est, quia alter coniux nequit efficaciter renuntiare iuri suo, cum hoc sit *inalienabile*[3]. Fortasse melius rem explicat Costantini, inquiens: « Quod si coniux, cuius torus violatur, consentiat, non laeditur iustitia, quia consentienti non fit iniuria; sed non minus violatur sanctitas matrimonii, quatenus matrimonium unum est et indissolubile, et eius iura sunt inalienabilia »[4]. Hanc explicationem puto veritati magis consonam, quia *binas* iniurias, quae per adulterium inferuntur, distinguit, scilicet: iniuriam, quae infertur matrimonio, et iniuriam, quae in-

---

[1] Cfr. Craisson, *Not. theol. circa sextum*, n. 90. — [2] Cfr. D'Annibale, p. II, n. 279. — [3] Cfr. tract. VIII, p. 2, n. 7. — [4] Cfr. *Inst. Theol. Moral.*, n. 283.

fertur comparti. Accedente igitur compartis consensu, huius, non autem matrimonii, iniuria cessat: id quod sufficit ad hoc ut adulterium adhuc habeatur. In hac sententia, circumstantia consensus compartis foret in confessione declaranda, utpote quia efficit ut hoc adulterium ab ordinario *specie* differat; vel, melius, quia efficit ut duo tantum peccata gravia habeantur, sc. *fornicationis,* et *adulterii* ob iniuriam matrimonio illatam[1]. Quaelibet vero ratio assignetur, certum est compartis consensum tollere obligationem ex parte adulteri reparandi damna realia, quae ex adulterio secuta fuerint, puta si enata sit proles certo adulterina.

70. — Ad dignoscendum quando habeatur adulterium *proprie dictum,* vel minus, videndum est utrum agatur de violatione *proprii,* an *alieni* tori.

Si sermo sit de violatione *proprii* tori, adulterium proprie dictum habetur non modo quando coniux patrat vel admittit concubitum cum persona soluta in vase naturali, sed etiam in qualibet alia corporis parte. Ratio est, quia fides et sanctitas matrimonii prohibent quominus coniuges corpore vel carne utantur praeterquam ad usum proprii coniugii. Quare est adulterium proprie dictum quilibet illicitus concubitus, quem coniugatus vel coniugata habeat cum persona soluta. Ex quo sequitur etiam sodomiam et pollutionem, quas coniuges mutuo vel seorsim patrent, actus impudicos (*graviter* malos) seu tactus, oscula, amplexus, quos coniuges cum extraneis peragant, ac tandem ipsam bestialitatem rationem adulterii proprie dicti habere. Proinde coniuges talia agentes tenentur in confessione statum matrimonialem manifestare.

---

[1] Cfr. etiam Lugo, *De Iust. et Iur.*, VIII, 10.

Si agatur vero de violatione *alieni* tori, ad habendum adulterium proprie dictum, *per se* requiritur copula in vase naturali. Scripsit Billuart: « Si quis cognoscat uxorem alterius in vase praepostero, adiungitur malitia adulterii... Non est tamen *stricte* et *proprie* adulterium, quia non violatur proprie torus alienus, seu *vas coniugale*... Quare si reservaretur adulterium, haec non essent reservata »[1]. Verum cum, iuxta superius dicta, mulier coniugata adulterium *proprie dictum* patret non solum si permittat coitum in vase naturali, sed etiam in qualibet alia corporis parte, vir solutus qui cum ea concumbit, *ratione cooperationis* etiam ipse adulterium *proprie dictum* patrat.

Ex his igitur erui potest regula generalis quod adulterium *proprie dictum*, sive *per se*, sive *ratione cooperationis*, semper habeatur in materia luxuriae et gravis impudicitiae, non solum cum agitur de violatione *proprii*, sed etiam *alieni* tori.

71. — An turpes *complacentiae*, quas coniugatus vel coniugata foveat relate ad personam extraneam, *adulterii* rationem habeant, inter theologos non satis convenit. Qui *affirmant*, dicunt fidem matrimonii obligare non solum corpus, sed etiam mentem in aliud obiectum turpe non collocare. Qui vero *negant*, animadvertunt difficile et absque sufficienti fundamento probari in matrimonio praestari fidem alteri coniugi non collocandi mentem in aliam vel alium. Prior sententia mihi magis probatur. Sed, ut opinor, ratio aliunde petenda est, ex matrimonii scilicet sanctitate: adulterium enim habetur non solum quando fides matrimonii alteri data violatur, set etiam quando matrimonii sanctitas offenditur. Iamvero matrimonii sanctitas certe actibus etsi internis laeditur.

---

[1] Cfr. diss. 6, art. 9.

Sin minus haec sententia in praxi *tutior* est [1]. Hinc recte Berardi: « Coniugatus, ait, qui aliam foeminam malitiose alloquitur vel conspicit vel imaginatur, in rigore, saltem propter periculum eam desiderandi et se polluendi, non solum contra castitatem, sed etiam contra fidem suae uxori datam peccat » [2].

72. — Si coniugata, ait Noldin [3], adulterium perpetret tempore, quo concipere potest, fit rea alius etiam iniustitiae, tum contra maritum, qui prolem spuriam forte concipiendam alere, tum contra prolem legitimam, quae cum spuria hereditatem dividere cogitur [4].

Num rationem habeat *adulterii* commercium carnale inter solutum et desponsatam, et viceversa, negandum est, cum hoc in casu *accessus ad torum alterius* desit. Attamen putat Bouvier dari in casu speciale iniustitiae peccatum in confessione declarandum, scilicet propter pactum in sponsalibus initum [5]. Haec opinio Bouvier videtur habere solidum fundamentum, si commercium carnale cum alio peragat *desponsata*: haec enim per copulam cum alio habitam, etsi forte generatio non subsequatur, vel impediatur, notabiliter *vilis* evadit: ideo non

---

[1] In *praxi* quando agitur de solis actionibus impudicis sive in proprio sive in alieno corpore commissis, itemque de turpibus complacentiis cum persona extranea habitis, christifideles raro vel difficulter duplicem malitiam apprehendere valent. Quare passim theologi docent omitti posse interrogationes et monitiones, nisi forte in peculiaribus casibus efficaces esse possint ad hoc ut poenitens in nova huius generis peccata non relabatur.

[2] Cfr. Pr., t. I, n. 951.

[3] L. c., n. 20.

[4] De *obligatione* et *modo* reparandi damna ex adulterio secuta, cfr. Partem primam *Theologiae Moralis*, n. 285.

[5] Cfr. *Diss. in sext. Decal. praec.*, pag. 36.

solum ipsa, sed etiam qui cum ea concumbit, iniustitiae gravis rei fiunt. Sed si agatur de *desponsato,* puto non adesse speciale seu grave iniustitiae peccatum, in confessione declarandum, cum praefatum inconveniens, quod ex parte foeminae verificatur, ex parte maris non habeatur.

73. — **De incestu.** — Incestus est congressus inter personas *cognatione vel affinitate* invicem coniunctas intra gradus, qui matrimonium dirimunt [1]. Dicitur *a*) *congressus:* qua voce intelligitur non solum copula naturalis, sed etiam sodomitica, et tactus obscoeni; *b*) *cognatione vel affinitate invincem coniunctas,* scilicet *cognatione* tum naturali, tum legali [2]; et *affinitate,* exorta ex copula sive licita, sive illicita. — Incestus est peccatum *grave* contra castitatem, cui accedit malitia *gravis* contra pietatem et reverentiam parentibus vel propinquis debitam.

74. — Probabile est incestum patratum cum *cognatis* (cognatione naturali, seu consanguinitate) haud *specie* differre ab incestu patrato cum *affinibus*: eadem enim militat prohibitionis ratio; proinde in confessione sufficit dicere: *patravi incestum,* praetermissa mentione de cognatione et affinitate. — Verum, saltem *probabilius,* incestus patratus cum cognatis cognatione *legali,* nempe ratione adoptionis, censetur diversae speciei ab enunciatis; proinde in confessione haec species explicari debet. — Num pandendus sit gradus

---

[1] Gradus prohibiti, ita ut habeatur incestus, sunt usque ad 4.um gradum inclusive in consanguinitate et affinitate orta ex matrimonio sive rato sive consummato; usque ad 2.um gradum inclusive in affinitate orta ex copula illicita.

[2] D'Annibale *De cognatione spirituali* mentionem iniicit ubi *de sacrilegio*: quod et ipse feci.

cognationis vel affinitatis? Negandum est; excepto fortasse 1.° *gr. lineae rectae* cognationis naturalis, seu consanguinitatis, attenta scilicet maxima peccati deformitate. D'Annibale, ait: « Duo solum, *probabilius*, mutant speciem incesti: *a*) necessitudo naturalis et legalis; *b*) ille consanguinitatis gradus, qui matrimonium dirimit naturali iure, idest primus lineae rectae, ideoque non ulteriores *rectae*, nec primus *obliquae;* nec, verius, in affinitate primus *rectae* »[1]. Sed quoad gradum consanguinitatis Suarez tenet contrarium, inquiens: « De gradibus consanguinitatis, quatenus sunt circumstantiae incestus,.. *probabilius* est non mutare speciem peccati »[2]. Ideo est certo *probabile* etiam 1.um gr, lineae rectae consanguinitatis esse eiusdem speciei.

75. — Peccatum luxuriae inter eos qui ligantur impedimento *publicae honestatis* [3], itemque inter *confessarium* et *poenitentem*, inter *parochum* et *parochianum* non habet rationem *incestus*.

76. — Inspecto *iure ecclesiastico*, malitia incestus extenditur ad omnes *gradus*, intra quos matrimonium ab Ecclesia prohibetur. — Si Ecclesia, quando potest, ab impedimento dispensat, malitia *incestus* cessat, seu potius non contrahitur.

77. — **De raptu.** — Raptus (in hac re) est violenta abductio maris vel foeminae de loco tuto in non tutum, libidinem

---

[1] Cfr. p. II, n. 69, cum adnot.

[2] Cfr. *De poenit.*, d. 22, § 3, n. 12.

[3] Est saltem *probabile* incestum non adesse inter eos qui ligantur impedimento *publicae honestatis*, utpote quia haec neque cognatio est, neque affinitas stricte talis.

explendi causa. Constituit duplex peccatum *grave:* contra *castitatem* ratione pravae intentionis; et contra *iustitiam* ob violentam abductionem. — Per se indifferens est utrum persona, quae rapitur, sit aetatis adultae, an minus; virgo an corrupta; bonae, an malae famae.

Vis, quae infertur, esse potest sive *physica,* sive *moralis* (cfr. superius dicta de *stupro*). Utraque inferri potest vel personae, quae rapitur, vel personis, quarum patriae potestati illa subest, ex. gr. parentibus, tutori, viro, etc., vel iis, qui personam rapiendam custodiunt nomine parentum, etc.; in quibus postremis casibus raptus committitur, etsi persona rapta in violentam abductionem sciens et volens consentiat. — Violentae abductioni aequiparanda est violenta *detentio.*

A violenta abductione vel detentione differt *seductio,* quae habetur, quando persona, quae abducitur vel detinetur, movetur precibus vel suasionibus tantum: quo casu raptor non iniustitiae reus foret, sed solum particeps inobedientiae personae raptae erga parentes, etc. — Raptus magnam habet affinitatem cum *stupro;* attamen discrepat in hoc, quod in raptu non semper *effective* luxuriae peccatum perpetratur.

Si foemina marem abducat libidinis explendae causa, idem *specie* peccatum patrat: sed non subest reservationi, si forte raptus peccatum *reservatum* fuerit, cum hic casus extraordinarius et exceptionalis sit.

78. — **De sacrilegio.** — In materia luxuriae tunc habetur sacrilegium, cum *obscoene* tractantur personae, loca, et res divino cultui consecratae.

1. — Inspecta *persona sacra,* patratur sacrilegium, si persona ligata voto *solemni* castitatis peccatum contra *sextum* perpetret vel in seipsa, vel cum alia, aut si persona voto non obstricta cum obstricta peccet; item siquis peccet cum per-

sona sibi *cognatione spirituali* coniuncta [1]. — Tale sacrilegium committit persona sacra, quae alium suis manibus polluit, etsi absque sua delectatione; item qui personam sacram ad peccatum luxuriae inducit, etsi ille cum ea non peccet, nam sacrilegio cooperatur: nisi agatur de mero consilio. — Si igitur sermo sit de iis actionibus, quae *per se* et *directe* sunt contra castitatem, patet sacrilegium adesse, et quidem etiam in materia parva; nisi peccatum contra castitatem *leve* sit ob *imperfectionem actus.* — Si vero agatur de iis actionibus, quae solum *indirecte* et per *accidens* inducere possunt peccatum contra castitatem, inspiciendum est utrum actio *graviter*, an *leviter* influat ad excitandam in subiecto delectationem veneream vel pollutionem, aut ad pertrahendam voluntatem ad actui graviter inhonesto assentiendum. In priore casu haberetur sacrilegium saltem *affectivum;* in altero minime: sacrilegium enim *proprie* sumptum culpam *gravem* contra castitatem supponit. — Num sacrilegium patret persona sacra, quae consentiat in pollutionem vel delectationem sponte et naturaliter obortam, *per se* videtur negandum, iuxta ea quae infra erunt dicenda sub cap. II. — Persona sacra, quae alias delectationes (*intellectus* vel *sensus*) admittit, sine periculo consensus graviter illiciti, sacrilegium non patrat, quia, meo sensu, graviter peccare non censetur. Quin imo si agitur de *sola* delectatione *intellectuali*, nullimode peccat.

Certum est votum *solemne* castitatis, non secus ac votum *simplex*, complecti non solum actus *externos*, sed etiam *internos*. Quare etiam peccatum grave *mere internum* contra castitatem *sacrilegium* est [2]. Item sacrilegium committit qui

---

[1] Cfr. D'Annibale, p. II, n. 69.

[2] In hoc consentiunt omnes theologi. Hinc miror Bonal haec scripsisse: « Peccata luxuriae mere interna voto castitatis non opponuntur, eo quod per tale votum Deo dicatur corpus tantum. Ita ite-

in personam sacram non solum actibus externis, etsi solis tactibus, sed etiam actibus *internis* intendit.

Quod attinet ad eos, qui ligati sunt voto *simplici* et *privato* castitatis, est *verius* non committere sacrilegium proprie dictum, si contra castitatem peccent. Ratio est, quia sacrilegium proprie et in rigore est violatio rei sacrae, seu rei quae publica auctoritate et ritu ad cultum Dei instituta et consecrata est: quod non accidit in voto simplici et privato castitatis. Tamen, omnibus consentientibus, peccatum contra castitatem in casu secumfert voti et promissionis Deo factae violationem: quod aeque in confessione sub *gravi* aperiendum est.

II. — Inspecto *loco sacro*, habetur sacrilegium, si in loco sacro *graviter*, verbo aut opere, peccetur *externe* contra eamdem virtutem[1]. Sacrilegium *locale* non committit, qui

---

ratim S. Congr. Regul. ». Cfr. *De virt. cast.*, n. 60. Sed, ut scio, apud cit. s. Congr. contrarium tenetur, iuxta communem theologorum doctrinam.

[1] Si agatur de voluntaria seminis humani effusione, praeter *sacrilegium*, quod patrat is qui semen effundit, habetur etiam ecclesiae *pollutio*. Ex cap. un. *De consecr. eccles.*, in 6°, et ex cap. *Ecclesiis* 20, *De consecrat.*, dist. I. Ad habendam tamen ecclesiae pollutionem, requiritur effusio *veri* seu *prolifici* seminis humani; quare sola *distillatio* (etsi voluntaria), prout accidit in foeminis, in maribus impuberibus, atque in perfecte eunuchis, ecclesiam non polluit, quamvis *sacrilegium* constituat ex parte illius qui distillationem procurat. Ad hoc vero ut ecclesia dicatur polluta, non requiritur ut semen in terram seu in pavimentum decidat. *Controvertitur* an ecclesiam polluat effusio seminis, voluntaria quidem, sed *occulta*. Sententia *probabilior* affirmat. Ratio est, quia textus superius citati non distinquunt. Non datur tamen obligatio a divinis officiis abstinendi, quamdiu crimen manet occultum. Item *controvertitur* an polluat ecclesiam copula maritalis. Sententia *verior* affirmat. Ratio petitur ex can. *Ecclesiis*, dist. 68, ubi dicitur: *cuiuscumque semine... pollutae;* ergo etiam per maritalem. Excipitur

interne tantum peccat contra castitatem, et quidem licet desideria vel turpissima in mente revolvat, sive extra locum sacrum, sive, *verius*, iuxta D'Annibale[1], in ipso loco sacro patranda; vel si externe quidem, tamen *leviter*, puta per tactus, sermones et aspectus *leviter* impudicos. Num sit sacrilegium copula maritalis in loco sacro peracta? Affirmat cum *communi* s. Alphonsus[2]; nisi instet periculum incontinentiae, vel nisi coniuges *diu*, puta per decem dies, abstinere deberent[3].

III. — Inspecta *re sacra,* sacrilegium patratur, si puta sacerdos in missae celebratione, vel in Eucharistia deferenda, administranda, etc., itemque in confectione vel administratione sacramentorum voluntarie se pollueret, vel sollicitaret ad turpia, aut interne tantum rebus graviter inhonestis consentiret. Idem dicendum de *diacono* Eucharistiam deferente, vel administrante; et de eo, qui statim post communionem se polluit. Sacrilegium non est, iuxta s. Alphonsum, praefata perpetrare in delatione ss. Reliquiarum, vel diebus festis. Quare non committit sacrilegium, qui ss. Reliquias vel imagines collo appensas gestans, contra castitatem sive interne sive etiam externe peccat. Item sacrilegium *reale* est abuti rebus sacris ad opera carnalia peragenda, puta Sanctorum iconibus, oleo sancto, sacris linteaminibus aut vasis,

---

casus, quo copula maritalis habeatur ex morali necessitate, seu ob periculum proximum incontinentiae. Cfr. Craisson, *Not. theol. circa sextum,* n. 120.

[1] Cfr. p. II, n. 69.

[2] L. c.

[3] Locus sacer, ait Noldin, in hac quaestione est ecclesia consecrata vel benedicta, eaque solum a tecto usque ad pavimentum, et coemeterium benedictum; ideo loca sacra non sunt oratoria privata (semipublica), nec sacristia, saltem si sit seiuncta ab aedificio ecclesiae, atrium ecclesiae, tectum supra ecclesiam. Cfr. l. c., n. 26.

candela aut aqua benedicta, etc. Num sacrilegium committat mulier, quae ad impetrandam a Deo curationem morbi in genitalibus, vel cessationem sterilitatis, ablutiones in genitalibus praesertim internis cum *aqua benedicta* adhibeat? Ego puto nullum, attento fine honesto, praefatam mulierem patrare sacrilegium, ac *licite* agere, remoto tamen scandalo. Ad summum dici potest hanc praxim non esse necessariam, ideoque esse ex convenientia omittendam, cum talis mulier possit aliis modis, puta per preces, praefatos effectus a Deo obtinere.

Notanda:

a) Sacrilegium in praefatis casibus duplex peccatum *grave* constituit: contra *castitatem*, et contra *religionem*.

b) Certum tamen est tactus, sermones, aspectus *leviter* impudicos sacrilegii (sive *personalis*, sive *localis*, sive *realis*) speciem minime praeseferre, eo quia ad constituendum sacrilegium materia *gravis* requiritur.

c) Qui est simul *sacerdos* et *religiosus*, violando castitatem *unum* tantum, licet *gravius*, sacrilegium committit. Ratio est, quia censetur moraliter *una* numero malitia contra eamdem virtutem religionis.

d) In uno eodemque actu adesse possunt praefata *tria* sacrilegia: puta si sacerdos actum carnalem cum sacra icone in ecclesia perpetret.

Quaestio. — Quaeri potest utrum persona Deo consecrata seipsam manusturbans *unum*, an *duplex* sacrilegium personale proprie dictum perpetret?

R. — Si agatur de mare pubere, capacitatem habente semen emittendi, is videtur *duplex* sacrilegium patrare, iuxta ea quae sub n. 52 dixi de *duplici* gravi malitia contra castitatem, quae tali manusturbationi inest: sicut enim habetur *duplex* peccatum grave contra virtutem castitatis, utpote quia haec virtus duobus modis *specie* diversis offenditur, ita

habetur *duplex* peccatum grave contra virtutem religionis, ideoque duplex sacrilegium, eo quia haec etiam virtus eisdem duobus modis violatur.

Si vero sermo sit de persona Deo sacra, quae sit capax *distillationis* tantum, prout sunt foeminae, perfecte eunuchi, etc., dicendum est eam unum tantummodo sacrilegium patrare, ratione scilicet venereae delectationis; minime vero ratione distillationis, quae, ut dixi, peccatum *veniale* non excedit, et proinde sacrilegium proprie dictum minime constituit.

ARTICULUS II.

De causis, quae indirecte et per accidens delectationem veneream, pollutionem, distillationem excitare valent.

79. — Superius actum est de causis, quae *directe* et *per se,* ideoque semper et in omnibus, excitare valent veneream delectationem, pollutionem aut distillationem. Hic vero agendum de iis causis, quae solum *indirecte* vel *per accidens* influere *possunt* in praefatos effectus excitandos. Hae causae sunt: *videre, audire, gustare, olphacere, tangere, amplecti, legere, proferre, cogitare,* etc. res inhonestas[1].

---

[1] Scilicet sub art. I actum est de iis actionibus, quae sunt *in se* venereae, et quae *immediate* sunt contra *castitatem;* sub hoc articulo agitur de iis actionibus, quae in venerea solum influunt, et quae sunt contra *pudicitiam.* Priores non admittunt parvitatem materiae, et nunquam aut vix unquam in collisione licitae evadunt; posteriores vero parvitatem materiae admittunt, et interdum in collisione licitae evadere possunt.

80. — Iamvero praefatae actiones, quae *in se* sunt *indifferentes*, evadere possunt incentivum vel patrandi aliquem actum manusturbationis aut fornicationis; vel excitandi veneream delectationem, pollutionem aut distillationem; vel saltem hisce consentiendi. Talis possibilitas dispicienda est non absolute, sed *relative,* inspecta scilicet maiore vel minore, vel etiam nulla subiecti inclinatione ad venerea. Hinc rectissime scripserunt Salmanticenses: « Advertendum est quod ut causae pollutionis dicantur hic et nunc graves vel leves, non est desumenda eius gravitas ex ipsarum natura et virtute secundum se; sed respective in ordine ad subiectum, a quo applicantur. Nam multoties causa, quae secundum se est levis, respective ad subiectum venereis deditum, aut ratione complexionis calidissimae et pronae ad luxuriam, est gravis. Et e contra, causa, quae secundum se est gravis, respectu alicuius subiecti, hic et nunc erit levis ob complexionem, quae venerea abhorret, aut quia ratione infirmitatis vel mortificationis appetitus sensitivi nullam commotionem in ea excitat. Agnovi enim personas, quae ex solo manuum aut pedis levi contactu statim commotionem et delectationem carnis sentiebant, et pollutionem patiebantur; et e contra alias vidi, quae ad eum gradum castitatis pervenerant, ut etiam ex visu mulieris nudae, vel copulae, aut etiam ex pudendorum contactu omnem commotionem carnalem penitus ignorabant. Quare gravitas causae in materia luxuriae non absolute, sed respective desumenda est. In

---

Praeterea notandum est *res* improprie dici inhonestas, cum tale praedicatum nonnisi *actionibus* conveniat. Relate igitur ad partes corporis humani distinguuntur in *inhonestas* (seu turpes vel obscoenas), prout sunt partes genitales, hisque partes proximae; in *minus honestas,* prout sunt pectus, ubera, brachia, crura; et in *honestas,* prout sunt vultus, manus, pedes.

praxi unusquisque, deposita passione, conscientiam suam consulat, et ex propria complexione vel inclinatione, aut etiam experientia praesagiat et coniiciat, an ex tali vel tali causa immineat sibi periculum pollutionis, aut delectationis venereae »[1]. Ex quibus sequitur eum, qui praefatas actiones ponit, *graviter*, vel *leviter*, aut *nullimode* peccare, secundum quod eaedem actiones graviter, vel leviter, aut nullimode influunt in ipsum.

81. — Certum est praefatam regulam valere, quando actio quae ponitur, sit *natura sua* graviter influens in delectationem veneream, pollutionem, etc., prout ex. gr. tactus morosus in pudendis personae alterius sexus, aspectus concubitus humani, etc., sed, attenta dispositione subiecti, vel *graviter*, vel *leviter*, aut *nullimode* in ipsum influat: tunc in priore casu peccatum erit *grave*, in altero *leve*, in tertio *nullum* peccatum. Ratio est, quia gravitas peccati dimetiri debet ex gradu probabilitatis periculi *subiective* inspecti, cui quis se exponit.

82. — Si vero agatur de actione, quae *natura sua* leviter aut nullimode influat, attenta tamen dispositione subiecti valeat in hoc, *graviter* in 1° casu, *leviter* in 2° casu, veneream delectationem, etc. excitare, non satis constat utrum in 1° casu detur peccatum *grave*, et in 2° peccatum *leve*, an vero in 1° *leve*, et in 2° *nullum* peccatum: seu, aliis verbis, controvertitur utrum in hac altera hypothesi res dispicienda sit ex parte dispositionis subiecti (prout supra); an potius ex natura actionis, quae ponitur. Hoc alterum nonnulli defendunt ut *probabilius*. Génicot, allegans doctrinam Bucceroni, haec scribit: « Qui ob peculiarem infirmitatem aliamve subiectivam dispositionem semper aut fere

[1] Cfr. t. 26, c. 7.

semper patitur pollutionem ex causis, quae per se nullo pacto vel omnino leviter in eam influant, *probabilius* (secluso proximo consensus periculo) non tenetur sub gravi ab iis ponendis abstinere. Ratio est, quod talis dispositio subiectiva nequit mutare intrinsecam illius actionis naturam. Igitur si actio ista est simpliciter licita, poterit agens prosequi ius suum, et effectum malum permittere; si leviter illicita est, non apparet gravis obligatio eam vitandi propter hunc effectum »[1].

Verum *contrariam* sententiam puto, *generatim* loquendo, esse *veriorem*, ob rationem superius allatam in priore hypothesi [2]. Hinc etiam Sani recte ait: « Si actio per se honesta, vel leviter illicita, quae in persona aliqua, ob specialem eius fragilitatem, fortem delectationem veneream producit, ponatur absque iusta causa, ita ut nulla necessitas, nulla convenientia eam ponendi urgeat: tunc persona quae illam ponit, graviter peccat... Et hoc sive actio sit graviter periculosa in genere luxuriae, sive sit talis extra hoc genus: in quocumque enim genere semper verificatur quod est periculosa; et in rebus moralibus non ad essentiam et genus rei, sed potius ad eius influxum et effectum respiciendum est: peccatum enim non ex substantia et genere rei, sed potius ex eius influentia, proindeque ex eius periculo, desumi debet »[3]. Haec sententia saltem in *praxi* tenenda est, ad removendum scilicet grave inconveniens, quod sequeretur in altera sententia: si enim in praefatis casibus *nullum* foret peccatum, vel tantum *leve*, quis, non obstante pollutione, etc., quam frequenter pati expertus est, pergeret voluntarie huiusmodi actiones ponere, atque ita certe se exponeret proximo periculo saltem in res venereas consentiendi.

---

[1] Cfr. Op. Mor., t. I, n. 399, 2° a. — [2] Cfr. n. 81. — [3] Cfr. *De sexto*, n. 1816.

Ceterum quod attinet ad illas actiones, quae sunt in se licitae, puta tactus circa partes honestas sive proprii sive alieni corporis, etc., vel quae sunt omnino extra genus luxuriae, puta moderata vini potatio aut equitatio, aspectus imaginis Christi Crucifixi vel iconis B. Virginis, etc., facile adesse potest ratio sufficiens eas ponendi: saltem aderit ratio removendi grave incommodum, quod haberetur, si a talibus actionibus semper abstinendum foret; ideoque delectatio venerea, pollutio, etc., quae inde sequerentur, forent *involuntariae;* proinde *licite* permitti possent, prout infra dicetur.

83. — Quae igitur superius dicta sunt, valent quando praefatae actiones ponuntur *sine ratione sufficienti*, seu absque iusta et proportionata causa. — Si autem praefatae actiones ponantur ex causa iusta et proportionata, per se *licebit* eas ponere, et quidem etsi sequatur venerea delectatio, pollutio vel distillatio; dummodo hae nullo modo intendantur, et absit periculum consentiendi in aliquam actionem inhonestam. Iustae vero causae dari possunt ratione vel *necessitatis*, vel *utilitatis*, vel *decentiae*, et quidem sive *propriae*, sive *alienae*. Ad rem s. Alphonsus scripsit: « Si actiones (etiam *graviter* influentes) ponantur ex causa necessaria, vel utili, vel convenienti animae aut corpori, tunc pollutiones ex ipsis provenientes, adhuc praevisae, non sunt peccata; dummodo absit consensus, vel eius periculum »[1].

84. — In *specie*, iustae et proportionatae causae exempla habentur, ait Berardi: – *a*) in medicis et chirurgis, qui foeminis medentur; – *b*) in confessariis, qui in proprio ministerio turpissima audire coguntur; – *c*) in studio necessario (vel ex rationabili causa suscepto) anathomiae, obste-

[1] Cfr. l. III, n. 875.

triciae, et picturae; item in studio quoad confessarios circa sextum praeceptum et usum matrimonii; – *d*) in iis, quibus cura incumbit inserviendi sive infirmis, sive in balneis; – *e*) in visu minime curioso concubitus animalium, si difficile esset a tali visu abstinere, prout contingeret in illis qui equos vel tauros coniungunt; – *f*) in colloquiis moderatis et cautis cum personis diversi sexus ex necessitate vel urbanitate vel sine ulla malitia; – *g*) in osculo, vel amplexu, vel manus apprehensione ex more patrio; – *h*) in choreis aut aliis iocis honestis ex convenienti recreatione habitis; – *i*) in osculandis pueris (discretione tamen et recta intentione servata); – *j*) in equitatione sive ex necessitate, sive ex utilitate, sive etiam ex sola recreatione suscepta; – *k*) in illis qui pollutionem patiuntur eo quod ex sincero motivo commodius quiescendi, supini vel proni decumbunt, et multo magis, si secus dormire nequirent; – *l*) in illis qui propter convenientem (quamvis lautam) coenam in somno polluuntur; – *m*) in actionibus, quae ob proprii corporis necessitates peraguntur v. g. ad munditiem procurandam, etc[1]. — Relate ad foeminas, notandum est eas, attento naturali genitalium externorum situ, haud raro eorumdem irritationi cum consequente distillatione ac venerea delectatione obnoxias esse, scilicet cum vel foemoralia gestant, vel vitam sedentariam degunt, aut bycicliola utuntur, aut aequitationi indulgent, aut curru veheuntur, etc. Iamvero si illae causas huiusmodi removere non possint quin seipsas re necessaria vel valde utili privent, *licite* eas ponunt, etsi praefati effectus in ipsis suboriantur: agitur enim de effectibus, qui *indirecte* ex causa *licite* posita procedunt.

Si vero causa non sit quidem iusta, tamen aliquid commodi vel humanae utilitatis habeat, ob quam illi actioni

---

[1] Cfr. Pr. t. I, n. 868.

incumbitur, docet Lessius esse quidem peccatum, sed *probabiliter* non esse peccatum *mortale;* dummodo absit periculum consentiendi in veneream delectationem, etc. Exemplum habetur in studio curioso artis medicae vel anathomiae[1].

ARTICULUS III.

De turpi verendorum commotione et de delectatione venerea, pollutione, distillatione sponte obortis.

85. — Pluribus de causis omnino involuntariis, tam in viro quam in foemina, verendorum commotio, atque delectatio venerea, pollutio vel distillatio excitari possunt. Ut patet, in hoc casu nulla culpa in subiecto illas patiente adesse potest. Attamen subinde peccatum adesse poterit, si subiectum in easdem consentiat. (Sed de hoc melius sermo erit sub num. 117). — Hic tantum quaeritur *an* et *quomodo* eas reprimere seu cohibere quis teneatur.

I. — Quod attinet ad turpem *verendorum commotionem*, quacum coniungitur delectatio *sensualis* (cfr. nn. 13, 16), videndum utrum *levis* sit, an *gravis*. In priore casu, melius est illam contemnere sine positiva resistentia. In altero casu, inspiciendum est utrum reipsa (prout ex propria experientia constare potest) subsit periculum *proximum* ne excitetur pollutio, aut ne voluntas ad consensum in actionem *graviter* inhonestam pertrahatur: an minus. Si 1.um, certe urget obligatio *gravis* positive resistendi[2]; si 2.um, gravis obligatio

---

[1] Cfr. IV, III, 118.

[2] Quando resistentia *positiva* est opponenda, non sufficit, ut patet, *passive* aut *permissive* se habere; neque satis est simplex displicentia; sed actus efficaciter reprimentes necessarii sunt. — De modis sive *di-*

non datur. — Siquis in priore hypothesi positive resisteret quidem, sed *remisse* vel tepide, *venialiter* tantum peccat. — Obligatio vero resistendi positive cessat quando talis resistentia est potius nociva, quam utilis, puta si valeat turpem commotionem adaugere aut diuturniorem reddere, prout facile accidere potest in iis qui *priapismo*, *satyriasi*, vel *nymphomania* affecti sunt. Idem dicendum, si commotio diu duraret, et nimis molestum foret eam positive repellere. Quare in hisce casibus nullum peccatum erit eidem positive non resistere. Attamen non inde sequitur nullam, ne *indirectam* quidem, resistentiam esse opponendam. Indirecta resistentia vero consistit praecipue in hoc, quod patiens tranquille ad Deum se convertat, ac mentem *serio*, *fixe*, et *constanter* ad alia negotia divertat.

Quae nuper dicta sunt, valent etiam pro casu, quo turpis commotio, etsi vehementissima, suboriatur ex actione, quae ob aliquam *necessitatem* aut *utilitatem*, sive propriam sive alienam, ponatur, puta ex auditione confessionis, ex tactibus vel aspectibus necessariis, ex lectione necessaria vel utili rerum turpium, etc. In hisce igitur et similibus casibus non requiritur positiva ac directa resistentia, sed satis est resistentia *indirecta*, vel etiam *passive* tantum se habere, et quidem quamvis sequatur pollutio; dummodo removeatur periculum pravi consensus: ad quod removendum, Dei auxilium, in praefatis casibus, deesse non potest. Proinde ad evitandam turpem commotionem ac pollutionem non sunt omittenda opera *caritatis* atque *pietatis*, neque a coeptis operibus desistendum est [1].

---

rectis, sive *indirectis* turpem commotionem compescendi vel praeveniendi, cfr. Partem primam *Theologiae Moralis*, n. 110.

[1] Scribit NOLDIN: « Accidit ut piae *foeminae*, praesertim *moniales*, in oratione vel in s. communione, sensibili amore adeo inflammentur,

II. — Relate vero ad *pollutionem* sponte evenientem aut iam coeptam, an habeatur obligatio eam reprimendi, omnes theologi respondent *negative*: adducta ratione, quia secus ex semine e lumbis iam deciso vel corrupto, intus retento aliquis morbus immineret; dummodo tamen spontaneus seminis egressus per voluntarium impulsum, praesertim per manusturbationem, non promoveatur, et absit periculum consensus. Verum quamquam certum sit licitum esse in casu non reprimere pollutionem; tamen ratio superius adducta, secundum Antonelli, hodie non amplius valet, cum indubium sit, iuxta doctrinas physiologicas, semen virile haud provenire e lumbis, sed ex binis vesiculis seminariis (cfr. numer. 1, II); neque vero corrumpi: nam vel remanet in dictis vesiculis, et tunc nulla corruptio timenda est; vel ex illis egreditur, et in hoc casu per uretram foras defluit. Itaque, secundum cit. auctorem, ratio aliunde petenda est. Scilicet recolendum est naturam ad hoc ut semen e vesiculis seminariis prompte et expedite emitteretur in copula, praeter alias causas, etiam totum nervorum systema coordinavisse, ita ut seminis iaculatio repraesentet statum maximae excitationis nervosae. Iamvero suppressio repentina actus, qui est effectus totius illius nerveae excitationis, inducet, pollutione impedita, magnam sanitatis perturbationem, et si

---

ut delectationem veneream percipiant, quin et pollutionem patiantur. In hoc casu magna discretione opus est. Si non sunt hystericae, eis dicendum est ut malignos hosce effectus non curent, nisi propterea in vita spirituali anxietatibus turbentur: quo casu expedit, ut affectus amoris moderentur. Frequenter tamen eiusmodi foeminae, quae inter orandum carnaliter excitantur, hysteria (religiosa) laborant: constat enim personas hystericas libenter obscoena phantasmata fovere, proindeque vehementes genitalium commotiones pati usque ad pollutionem. Hae moneri debent, ut, quantum fieri potest, eiusmodi phantasmata reiiciant ». L. c., n. 50.

saepe fiat, etiam praedispositionem ad morbos nervosos, qui data occasione statim irruerent; eaedem vero sensationes faciliores redderentur. Haec est igitur ratio ob quam quis, in casu superius proposito, non tenetur pollutionem cohibere. Attamen, subdit cit. auctor, quod attinet ad eos qui qualibet ex causa sunt *debiles*, praesertim ob vitium manusturbationis, anemiam, chlorosim, et morbos, *hortandi* forent ut resistentiam opponant, quia secus huiusmodi pollutiones non impeditae, saepe adeo frequentes fierent, ut verum morbum (*spermatorrhaeam*) cum periculo vitam cito finiendi efficerent. Et idem ordinarie dicendum foret de viris piis, et de illis, qui in periculo consentiendi versarentur [1].

Quae vero superius dicta sunt de liceitate non cohibendi pollutionem, valent, ut puto, etiam in casu, quo quis sive *directe*, sive *indirecte*, illicite tamen, pollutionem provocaverit: nam quamvis *graviter* peccaverit pollutionem provocando, non ideo, attenta ratione superius allata, dicendum est eum nunc ad incoeptam pollutionem reprimendam teneri. Id vero certum est, si causa indirecta pollutionis *licite* posita fuerit.

III. — Quod attinet ad *distillationem*, quae accidit in foeminis, in maribus impuberibus, et in perfecte eunuchis, idem dicendum est relate ad *liceitatem* non cohibitionis, quod de pollutione dictum est. Imo huc videtur facere etiam ratio a veteribus theologis adducta quoad pollutionem, scilicet quod humores seu muci corrupti, intus retenti, aliquod valetudini detrimentum allaturi sint.

IV. — Superius dictum est non dari obligationem *positive* cohibendi pollutionem vel distillationem cum concomitante delectatione venerea. Sed est alia quaestio, si pollutio vel distillatio *sponte* incoepta, positive promoveatur:

---

[1] Cfr. t. II, n. 314-317.

quo casu, si agatur de pollutione, *mortale* foret, non secus ac mortale est eam simpliciter provocare. Ita inter alios docet Piscetta, inquiens: « Sicut letale peccatum est pollutionem procurare, ita est graviter illicitum coeptam naturaliter v. gr. in somnis pollutionem directe, actu positivo et perfecte humano promovere. *Actu positivo:* aliud enim est siquis negative tantum se habeat. *Perfecte humano:* nam si id fit a semisopito, gravis culpa abest, quia plena advertentia abest. Idem dic si semisopitus pollutionem procuret. *In dubio*, is cui plene vigili ea res displicere solet, letali caruisse putandus est »[1]. Verum pro maiore claritate distinctio, meo iudicio, facienda est. Scilicet si inspiciatur delectatio venerea seorsim a pollutione, certe *maior* delectationis intensitas directe et voluntarie procurata peccatum *grave* constituit, cum in hac materia non detur parvitas. — Si vero consideretur sola pollutio, dubitari potest an ex hac parte detur peccatum grave: impulsus enim efficere potest ut effusio seminis, quod a natura in determinata quantitate e vesiculis seminariis secernitur, citius finiatur; minime vero, prout opinor, efficit ut ea abundatior evadat. — Relate vero ad distillationem, quae accidit in mulieribus, maribus impuberibus, et perfecte eunuchis, illius promotio, praescindendo a delectatione venerea, peccatum grave, iuxta alibi dicta, *certe* minime constituit.

Insuper notanda sunt quae inter alios scribit Sporer: « Cavendum permaxime, ne taliter evigilans, vel alias involuntarie ortam pollutionem sentiens, non tantum permittat, vel non reprimat (quod solum conceditur), sed etiam positivo aliquo conatu vel impulsu eam promoveat, vel compleat, *etiam solum quoad aliquas reliquias seminis protrudendas*, eo ferme modo, quo mingentes, cessante fluxu, aliquot

---

[1] Cfr. *De lux. et usu matr.*, pag. 10.

guttas protrudere solent: quod utique *non liceret citra grave peccatum*, si omnino deliberate fieret »[1]. Verum, cessata delectatione venerea, non apparet ratio cur residuas seminis guttas in uretra exsistentes expellere non liceat: neque enim iam obstat, ex hypothesi, delectatio venerea; neque iam haberetur periculum ne semen ultra promoveatur, aut ne semen e vesiculis iam egressum voluntarie frustraneum reddatur, cum natura ipsa in hoc casu illud frustraneum iam reddiderit. Itaque, meo iudicio, in praefata hypothesi, peccatum saltem *grave* non datur. Si vero ageretur de sola distillatione, ne *leve* quidem peccatum haberetur [2].

V. — An liceat *gaudere* de delectatione venerea, pollutione aut distillatione sponte vel involuntarie obortis, aut eas sponte vel involuntarie oborientes *desiderare*, dicam ubi erit sermo *de peccatis internis* contra castitatem.

86. — Relate ad eos, *qui ex una parte ad venerea sunt proclives, et ex altera praefatas actiones ponunt absque iusta causa, ac sine propria experientia*, praestat hic subiicere quae pro particularibus casibus sub respectu *obiectivo* et *absoluto* statui possunt circa *gravitatem* peccati contra castitatem. In antecessum vero prae oculis habenda est seq. propositio damnata ab Alexandro VII, nempe: « *Est probabilis opinio, quae dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis* ». Ex qua damnata propositione eruitur oscula, quae dentur ob delectationem carnalem (seu *veneream*) constituere peccatum

---

[1] Cfr. l. c., un. 656, 642.

[2] An ob pollutionem omittenda sit s. Communio, dixi in Parte tertia *Theologiae Moralis* sub n. 118.

mortale: id quod accidit non solum cum dantur oscula, etsi honesta, quando iam fervet delectatio venerea, coniuncta cum pollutione aut distillatione, sed etiam quando delectatio venerea *sola* consistit, prout evenit, iuxta superius dicta sub num. 13, in motibus carnalibus pollutioni aut distillationi *proxime praeviis*: quo in casu recte explicari possunt ea propositionis verba: *secluso periculo pollutionis*, ita ut in propositione contraria tenendum sit committi peccatum *grave*, quamvis seclusum sit periculum pollutionis: quod accidit tantum in altero praefato casu. Insuper in sensu propositionis, quae *damnatae* contraria est, patratur peccatum *mortale* cum dantur oscula, etsi honesta, cum *intentione* excitandi venereum delectationem; aut etiam cum *praevisione* quod excitetur venerea delectatio: dummodo tamen in hoc postremo casu dentur oscula sine ulla iusta causa. — Quare si dentur oscula ob solam delectationem *sensibilem* vel *sensualem* (in sensu a me explicato sub n. 16), citra tamen intentionem vel periculum excitandi venereum delectationem, peccatum *mortale* non habetur. — Quae dicta sunt de *osculis*, valent etiam relate ad *tactus*, *amplexus*, etc., de quibus infra erit sermo. — His *generaliter* praemissis, venio ad singula.

87. — **De osculis.**

a) Osculari, lambere, vel olphacere *verenda, aut partes iis proximas* personae sive diversi, sive eiusdem sexus, *mortale* est. — Item *grave* est, nisi fiat obiter, osculari partes minus honestas personae diversi sexus.

b) Osculari *partes honestas* personae eiusdem vel diversi sexus aut *nullum*, aut *veniale* peccatum est; nisi agatur de osculis, quae dentur in ore, vel lingua unius in os alterius introducta: quae ordinarie *mortalia* censentur, cum

huiusmodi oscula in delectationem veneream *graviter* influant [1].

c) Osculari *pueros* et *puellas* ex affectu tenerae infantilis aetatis ; item eos amplecti, tangere, captando delectationem sensibilem ex mollitie carnis tenerae, *per se* vel *nullum* est peccatum, vel tantum *veniale* [2]. — Certum est nullum esse peccatum, si agatur de propriis *consanguineis* vel *affinibus* in proximioribus gradibus. — *Veniale* est osculari in partibus honestis personam diversi sexus fere puberem ob eius pulchritudinem ; dummodo absit periculum excitandi veneream delectationem, aut consentiendi in actionem *graviter* illicitam.

d) Osculari *partes honestas* alterius ratione officii, aut moris patrii, aut amoris honesti, vel benevolentiae augendae causa, etiamsi delectatio venerea suboriatur, non est peccatum. S. Alphonsus (l. c.). — Attamen subdit s. Doctor : « recte notat Croix, quod oscula, etiam habita more patriae, etc., si habeantur cum mora vel ardore, ordinarie sunt mortalia, quia adest periculum proximum venereae delectationis ». Insuper sunt qui animadvertunt *monialibus*, *religiosis* et *clericis* minus convenire deosculari personas diversi sexus, praeter coniunctos in 1°. gr. consanguinitatis vel affinitatis, scilicet ob naturalem quamdam indecentiam et scandalum, inde secutura.

88. — **De tactibus.**

a) Tangere *propria verenda* ex levitate animi vel curiositate, per se *non est mortale* ; dummodo absit venerea delectatio, et periculum consentiendi in aliquid quod graviter inhonestum sit [3]. — Animadvertit Bucceroni quod ex.

---

[1] S. Alphonsus, l. III, n. 417. — [2] Ferraris, v. *Luxuria*, n. 77. — [3] Cfr. s. Alphonsum, l. c., n. 419.

gr. mulier, quae se tetigit medio aliquo instrumento, non tenetur hanc circumstantiam declarare, etiamsi illud in verenda intromiserit, quia nova peccati species inde non habetur. Neque item necesse est aperire qua corporis parte tactus peracti fuerint. Quare confessarius de his interrogare non debet [1]. Attamen poenitens, si se accuset quod instrumentum ad se turpiter tangendum adhibuerit, interrogandus erit num forte peccato *fornicationis affectivae* peccaverit.

b) Tangere *ceteras partes* proprii corporis ex levitate vel curiositate per se *nullum peccatum* est ; nisi agatur de tactibus, quos foeminae adultae in propriis mamillis, et praesertim in *areolis*, exercent : quo casu, attento influxu, quem tactus huiusmodi habent in genitalia, constituerent peccatum *veniale ;* et si morose fiant, etiam *mortale.*

c) Tangere *verenda* personae diversi sexus, *mortale* est ; nisi id fiat ex ioco, aut ex levitate animi, aut supra vestes, sed obiter : quibus in casibus probabilius *veniale* non excedit. Item si persona quae tangitur, sit puellula.

d) Tangere partes *minus honestas* foeminae puberis, praesertim si supra vestes, *veniale* est ; nisi id fiat morose, aut iteratis vicibus. Hinc graviter peccat is qui puellam in sua genua trahit, et ibi sedentem tenet, vel eam amplectitur aut comprimit: quae omnia saltem delectationis venereae periculum facile inducunt.

e) Tangere *partes honestas* personae diversi sexus, ex loco, vel ex spirituali aut sensibili affectu, *veniale* non excedit. « Hinc, ait Gousset, peccat tantum *venialiter* vir, qui huiusmodi causa osculatur foeminam in facie, aut faciem eius manu tangit, manum comprimit, digitos aut brachia contorquet, et similia » (n. 636). Idem sentiunt Sanchez,

---

[1] Cfr. *De sexto*, n. 21.

Gury, et alii [1]. – Relate vero ad tactus *uberum*, ita Scavini: « Tactus uberum foeminae praesertim iam puberis, sunt *mortales*, cum sunt pressi et morosi; *veniales* vero, si fiant obiter, superficialiter, sineque affectu libidinoso »[2]. Verum relate ad foeminas impuberes cfr. quae dixi sub n. 2, V, in adnot.

f) Tangere corpus personae eiusdem sexus, eamdem, ac supra, malitiam induit. Verum, recte animadvertit Berardi, « notabilis adest differentia, quatenus, quando agitur de personis eiusdem sexus, non statim ac aliqua mora deprehenditur, id sufficit ut mortale peccatum constituatur (sicut sufficeret, si essent sexus diversi): secluso enim fine libidinoso, indecentia, periculum et scandalum minora esse solent »[3].

g) Ancillae teneros pueros vestientes, lavantes, eorumque pudenda tangentes, vel aspicientes, etsi motus carnalis exsurgat, secluso consensu, vel turpi complacentia, aut non peccant, si ita officium exigat; aut solum peccant *venialiter*, si leviter et ex curiositate faciant. Si tamen id facerent cum mora, ordinarie peccarent *mortaliter*, ob grave periculum consensus libidinosi [4].

h) Tangere genitalia brutorum, praesertim parvorum, ex ioco vel curiositate, ordinarie non est nisi *veniale*. — Sed ea tangere morose aut iteratis vicibus usque ad eorumdem carnalem commotionem et pollutionem, probabilius est *mortale* [5].

89. — De aspectibus.

a) Aspicere quamlibet proprii corporis partem, nunquam *grave* peccatum constituit; nisi agatur de *partibus*

---

[1] Cfr. Berardi, Pr. t. I, n. 907. — [2] l. IV, n. 686. — [3] l. c., n. 911. — [4] Sporer, Croix et alii. — Cfr. Ferraris, l. c., n. 77. — [5] S. alphonsus, l. c., n. 420.

inhonestis, praesertim si commotis, et id *morose* fiat: quo casu *mortale* esse potest. — Advertit Bucceroni mulieres quandoque reperiri, quae speculo utuntur, ut impudice se aspiciant, quam circumstantiam verecundantur in confessione aperire. Ipsa tamen necessario declarari non debet [1].

b) Aspicere *pudenda* personae eiusdem sexus, non est mortale; nisi quis sit valde inclinatus ad sodomiam, vel aspiciat (deliberate ac morose) personam iuvenem et pulchram perfecte nudam [2].

c) Aspicere (etsi ex sola curiositate) *pudenda* personae diversi sexus, vel *concubitum humanum*, *mortale* censetur [3]; nisi visio fieret a longinquo, et tempore brevissimo, aut in senibus ac infantulis. — Neque aspiciens excusatur a *gravi*, si pudenda tecta sint velo tenuissimo: id enim, quin minuat, libidinem auget.

d) Aspicere partes *minus honestas* (brachia, crura, pectus) personae alterius sexus, *non est mortale*, praesertim si mulier vetula sit, aut iunior non adhuc formata, aut si agatur de matribus et nutricibus infantulos lactantibus; nisi tamen *morose* fiat, et mulier, quae aspicitur, pulchra sit.

e) Aspicere partes *honestas* personae diversi sexus, nullum est peccatum. Si tamen morose fiat, *veniale* est. Sed qui diuturne aspicit partes etsi honestas mulieris, quam ardet, *mortaliter* peccat [4].

f) Aspicere *morose* et *prope* coitum aut partes vehementer commotas *brutorum*, est admodum periculosum,

---

[1] Cfr. *De sexto*, n. 8. — [2] Cfr. s. Alphonsum, l. c. — [3] S. Alphonsus, l. c., n. 421.

[4] Quando agitur de aspectibus in partes *honestas* personae diversi sexus, etiam pulchrae, ad scrupulos vitandos, qui timoratos viros saepe anxios tenent, haec cum Bucceroni iuvat notare: — *a*) Excessivus praecavendus est timor peccandi: talis enim timor tentationes augere potest, ac deterrere etiam ab aspectu ss. Imaginum. — *b*) Non

ideoque ordinarie *mortale* est; secus dicendum, si obiter, vel a longinquo: quibus casibus vel *nullum*, vel *veniale* peccatum est, praesertim si ex curiositate, aut levitate fiat.

90. — **De cogitationibus impuris.** — Cum eodem ferme modo periculum valeant in animum inducere res vel actiones turpes, sive conspiciantur visione *externa*, sive *interna;* hinc quae dicta sunt superius de *aspectibus*, visioni etiam internae applicari debent. — Attamen maius periculum adesse potest, quando agitur de rebus vel actionibus turpibus per imaginationem exhibitis: nam phantasia, praesertim cum fervet, res et actiones turpes modo vividiore, et saepe supra realitatem, repraesentare potest. — In specie notandum est nullimode peccare eos qui ratione utilis studii et ad finem recte intelligendi res et actiones inhonestas, eas aut sibi imaginantur, aut in mente revolvunt, aut etiam effingunt se illas patrare; dummodo, si agatur de actionibus inhonestis, absit periculum in ipsas consentiendi.

91. — Oscula, tactus, amplexus, aspectus inter *impuberes*, qui rationis usum sunt adepti, possunt esse peccata *gravia*, quando scilicet agitur de impuberibus pubertati iam proximis, aut valde malitiosis, qui tales actus morose exerceant circa pudenda. — Secus a *mortali* excusari pos-

---

eadem sane modestia ab omnibus exigitur, sed ea ex statu, officio, aliisque personarum, locorumque circumstantiis est determinanda. — *c*) Gradus quidam est modestiae, qui regulariter ab omnibus observari potest: et in hoc consistit, quod praesertim in faciem personarum alterius sexus obtutum quis morose non figat. — *d*) Siquis ex speciali Dei inspiratione et gratia maiorem velit modestiam servare, rem certo faciet magni meriti apud Deum, et magnae edificationis apud homines; verum id suaviter faciat nulla animi anxietate. Cfr. l. c.

sunt: attenta enim adhuc tenera eorum aetate, supponi potest necdum sufficienter advertere pericula, quibus se exponunt, atque praefatos actus peragere vel ex ioco, vel ex naturali curiositate ac vanitate, vel ex innocenti imitatione. — Relate vero ad eos, qui nondum rationis usum sunt assecuti, patet illos ex naturali instinctu tantummodo dictos actus, et interdum etiam turpes concubitus, exercere. — In quolibet tamen casu ab huismodi actibus, ne his, cum eorum maximo futuro damno, assuescant, sedulo deterrendi sunt.

92. — Osculari, tangere, amplecti, aspicere *statuas*, vel *picturas* aut *photographias* repraesentantes personam alterius sexus perfecte nudam, vel cadavera, ordinarie sunt peccata *gravia*, si ea fiant morose circa partes inhonestas: tales enim actus, praesertim circa picturas vivide naturam imitantes, vel circa cadaver foeminae nuper demortuae, excitare valent veneream delectationem, maxime si is qui talia agit, ad venerea sit valde proclivis, prout in hisce casibus ordinarie accidit. Adesse potest etiam affectus libidinosus, scilicet si talia peragantur cum *gaudio* de copula habita, aut cum *desiderio* copulae habendae, casu quo praefata obiecta *viva* forent. — Si praedicti actus fiant vel ex ioco, vel ex animi levitate, vel obiter, aut si morose, tamen circa partes minus honestas, puto *veniale* non excedere, utpote quia praefata obiecta, cum sint inanimata, minus commovere solent. — Si vero fiant in partibus honestis, *nullum* est peccatum, quando fiant ad exprimendum cordis affectum erga personam valde, sed ordinate, dilectam, puta si Titius ex cordis affectu repetitis vicibus faciem vel manum cadaveris propriae amasiae deosculetur, tangat, etc.

93. — Gustare vel olphacere secretiones aut mucos genitalium personae alterius sexus ordinarie *mortale* est: haec enim veneream delectationem valde excitant, et qui talia agunt, animum libidinosum habere ostendunt. Excipe si haec fiant ex curiositate atque obiter: quo casu forent *veniale;* et si fiant ad necessarium vel utile experimentum, *per se* nullum peccatum est.

94. — Qui libros, cantiones, vel tractatus obscoenos componunt, aut divulgant; qui comoedias turpes exhibent vel repraesentant; qui picturas, sculpturas, aut imagines ad libidinem excitantes faciunt vel publice exponunt, peccant *mortaliter,* quia sunt spiritualis ruina multorum.

95. — Item qui obscoena legunt[1], inhonesta canunt, turpia loquuntur (ex. gr. de licitis et illicitis inter coniuges, de modis procurandi pollutionem), impudicos gestus faciunt, turpes comoedias spectant, litteras amatorias et lascivas scribunt et recipiunt, vel qui talia audiunt et similia faciunt, siquidem faciant cum intentione et complacentia turpi, vel cum periculo ruinae spiritualis sui vel aliorum, peccant *mortaliter;* si vero faciant ex curiositate, aut ex vano solatio, sine periculo ruinae spiritualis sui vel alio-

[1] Scribit NOLDIN: « Lectio *librorum romanensium*, qui de amoribus ita tractant ut nec omnino casti, nec omnino obscoeni sint, iuvenibus utriusque sexus valde dissuaderi debet, cum eorum lectio indolem enervet, phantasiam ineptis imaginibus repleat, atque universim ad mollitiem disponat. Ab iis qui experientia sciunt se ex eiusmodi lectione graves tentationes vel frequentes pollutiones pati, hi libri sub gravi vitari debent: alias autem sub gravi non prohibentur, etsi hinc inde commotio vel etiam pollutio consequatur, cui tamen non praebeatur consensus. Eorum lectio licita est, si ex rationabili causa instituitur (propter eruditionem, propter stylum), et tentationes forte sub orientes reiiciantur ». Cfr. l. c., n. 59.

rum, *venialiter* peccant[1]. Ita ex. gr. secundum s. Alphonsum[2], messores, vindemiatores, et muliones dicteria turpia proferentes *venialiter* peccant, siquidem ea ludicre dicunt et audiunt. Item *leviter* peccaret, qui (prout facile accidere potest in officinis) ex humano respectu, dum alius turpia profert aut gestus impudicos facit, aliqua verba immisceret vel subrideret; aut si ex curiositate ea auscultaret cum facile abire posset, etc[3]. — Ceterum in praxi ad dignoscendam gravitatem peccati valde attendendum est ad statum, aetatem, et conditionem eorum, qui talia agunt. Ita si sermo sit de coniugatis, vel de iis, qui ratione assuetudinis, studii vel professionis turpia videre aut tractare solent, prout qui habitant in magnis urbibus, medici, chirurgi, etc., admodum raro, secluso pravo fine, *mortaliter* peccabunt. — Cum vero non deceat confessarium petere a poenitentibus quid praecise dixerint, id ipse ex eorum circumstantiis arguere poterit.

96. — Huc spectant *tenera colloquia* cum personis diversi sexus, quae si sint diuturna, saepe repetita, et in locis solitariis, evadunt admodum periculosa, ideoque non raro sunt occasio peccati *mortalis*. Idem vero dicendum de diuturnis et vanis colloquiis cum muliere inordinate dilecta[4]. — E contrario honesti ac familiares sermones et colloquia cum personis alterius sexus omni culpa vacant, quamvis ex his naturalis delectatio oriatur[5]. — In specie relate ad teneras amicitias inter adolescentes et puellas, haec monet s. Alphonsus: « Generaliter loquendo de adolescentibus et

---

[1] Sporer, Sanchez, et alii. — Cfr. Ferraris, l. c., n. 85. — [2] L. c., n. 426. — [3] Cfr. Génicot, *Op. Mor.*, t. I, n. 408. — [4] S. Alphonsus, l. c., n. 422; Costantini, *Op. Mor.*, n. 292. — [5] D'Annibale, p. II, n. 68.

puellis, qui invicem se adamant, non sunt isti omnes indistincte de gravi culpa damnandi; sed ordinarie puto ipsos difficulter esse extra occasionem proximam letaliter peccandi. Id nimium experientia patet: nam ex centum adolescentibus vix duo vel tres in ea occasione positi, a mortalibus inveniuntur immunes, et si non in principio, saltem in progressu » [1].

97. — Hinc etiam deduces quid sentiendum sit de *amore*, qui (improprie) dicitur *platonicus*, seu de amore, qui, absque desideriis eroticis, fovetur inter personas praesertim diversi sexus, et qui innititur praecipue physicis seu corporeis alterius qualitatibus. Talis amor, ait Descuret, absolute loquendo, per aliquod tempus dari potest etiam inter personas diversi sexus: sed requiritur magna sensuum quies, et cordis puritas [2].

98. — Relate ad *picturas et statuas obscoenas; — denudationes corporis muliebris; — spectacula obscoena; — choreas*, cfr. Partem primam *Theologiae Moralis*, n. 269, I-IV. — Quoad eos vero, qui, matrimonii ineundi causa, sese invisunt, cfr. Partem alteram *Teologiae Pastoralis*, n. 80.

99. — Fit *quaestio* quid sentiendum sit de consuetudine in *academiis* picturae et sculpturae vigente, adhibendi scilicet pro exemplaribus personas nudas utriusque sexus?

R. — Talis consuetudo videtur esse reprobanda, utpote occasio proxima et fomes gravium peccatorum, praesertim si in exemplaria assumantur personae diversi sexus. Ex altera parte, nulla adest, prout adesse potest pro studio

---

[1] Cfr. *Homo apostolicus*, tract. XXII, n. 3. — [2] Cfr. *Med. delic pass.*, p. 360.

anatomiae in medicina vel chirurgia, vera necessitas aut utilitas conficiendi picturas vel sculpturas repraesentantes personas perfecte nudas: id enim solummodo fieri potest ad artis ostentationem, non sine magno publicae moralitatis detrimento. Si vero aliquando necessitas vel utilitas id exigat, aeque bene inservire possunt innumera et magnifica artis exemplaria, quae ubique in magnis urbibus extant. Insuper hodie habetur ars photographica, per quam fideliter exprimi possunt eae humani corporis partes, quae in picturae vel sculpturae operibus conficiendis necessariae esse possunt. Quare videntur peccare qui praefatam consuetudinem servant. Berardi vero non dubitat affirmare, re in complexu considerata, eos qui in huiusce rei permissione principalem partem habent, *graviter* peccare [1].

Attamen non desunt qui, excepto casu, quo ageretur de imitandis partibus obscoenis, putant talem consuetudinem licitam esse, sub hisce conditionibus: *a*) ut exemplar vere necessarium sit; *b*) ut denudatio non ultra necessitatem extendatur; *c*) ut, si fieri possit, mulieris mater, vel alia mulier maturae aetatis adsistat, ne artifex ipsa abutatur; *d*) ut, adhibitis cautelis, praesertim oratione ac paullo intensiore ad opus applicatione, excludatur periculum consensus in delectionem veneream forte suborientem [2]. Iuxta Noldin, usus exemplarium, non servatis praefatis conditionibus, *mortale* est.

Certum est eos, qui has *academias*, artis addiscendae causa, frequentant, atque eas citra grave incommodum (prout ordinarie fit) relinquere non possunt, a quovis peccato excusari; dummodo necessarias cautelas serio adhibeant [3].

Verum qui se conspiciendos exhibent, *peccant*: ne-

---

[1] Pr. t. I, n. 931. — [2] Cfr. Noldin, l. c., n. 60; Sani, *De sexto*, n. 1834. — [3] Berardi, l. c.; Génicot, t. I, n. 407; Noldin, l. c.

que excusantur ratione lucri [1]. Sed animadvertit Génicot : « Cum ipsa actio in se non sit graviter turpis, et periculum pravi consensus potius e malitia inspicientium, quam e natura rei oriatur : aequo severiores sunt qui peccati gravis arguunt mulieres, quae se ita nudas conspiciendas exhibent »[2].

100. — *Quaeritur* quomodo peccet, qui in proprio corpore alienos tactus, oscula, amplexus, aspectus, etc. non impedit ?

R. — Distinguendum est inter oscula, tactus, etc. *obiective* graviter inhonestos, (puta in verendis, vel partibus proximis) ; leviter inhonestos (puta osculum in facie, tactus genarum, apprehensio manus, absque iusta causa ; vel si cum causa, ex. gr. ex more patriae, tamen paullo morosius, etc.); et simpliciter honestos (puta osculum aut apprehensio manus ratione officii, vel ex more patrio, vel in choreis ; tactus et aspectus medici occasione infirmitatis, etc.).

Si 1.um, qui praefatos actus patitur, tenetur sub *gravi* eos impedire. Ratio est, quia qui talia perpetrat, praesumitur vel quod intentione graviter prava moveatur, vel saltem quod se exponat periculo proximo excitandi in se veneream delectationem ; proinde qui tales actus ultro in se admittit, cooperatur gravi agentis peccato, et evadit etiam complex peccati scandali, si praefati actus in publico fiant. — Attamen nullimode peccaret, si nullo modo alienis tactibus, osculis, aspectibus, etc. se subtrahere posset. Item excusaretur ob timorem gravissimi mali mox subeundi, ex. gr. mortis, infamiae, etc., puta si pater sub tali vel simili metu iubeat filiae suae ut quoslibet etsi obscoenos tactus,

---

[1] Berardi, l. c. — [2] L. c.

amplexus, vel oscula, etc. a suo amasio in se excipiat. — Timor minoris mali ordinarie non excusaret, puta si puella serio timeat ne ab amasio derelinquatur, nisi in praefatos actus consentiat.

Si 2.um, videndum est utrum actus qui sunt obiective leviter inhonesti fiant cum *manifesta* malitia, et prava intentione; an minus, seu cum *dubia*. In priore casu patiens tenetur sub *gravi* eos impedire; in altero autem teneretur tantum, ut puto, sub *levi*, nisi res agatur in publico, atque ex circumstantia fortuita, et patiens ex sua renuentia ac repulsa agentem pudore et infamia afficeret: quo casu *licite* eos potest permittere; dummodo tamen id frequenter haud accidat: id enim malas consequentias ex utraque parte secumferre potest. — In *specie* relate ad *matres* et *nutrices*, quae in publico, pectore ac uberibus detectis, filios lactant, dicendum est eas saltem *venialiter* peccare, cum multi fortasse erunt ex adstantibus vel per viam transeuntibus, qui inde sumpturi sint occasionem interne peccandi. — Si id domi faciant, ex circumstantiis inspiciendum est utrum talis consuetudo alicui de familia, aut extraneis incentivum ad peccandum sit, an minus. In quolibet casu tales mulieres suadendae sunt ut huiusmodi officium cum debitis cautelis adimpleant.

Si 3.um, dato quod de prava agentis intentione et animo libidinoso constaret, patiens teneretur saltem ex caritate praefatos actus impedire; dummodo tamen satis commode id facere possit. Hinc ordinarie ad id non teneretur: *a)* si de malitia agentis non constaret: neque enim licet redarguere vel offendere eum, qui forsan id nullo modo meretur; *b)* si patiens sit valde timidus ita ut non audeat agentem de interna sua malitia reprehendere; *c)* si casus accidat in publico, et qui patitur tactus, oscula, etc. nequiret haec im-

pedire, nisi ingerendo in adstantium animis suspicionem peccati, et ita agentem infamando[1].

101. — Quae superius dicta sunt, valent quando in patiente nullum periculum propriae ruinae spiritualis timendum est; secus enim etiam in casibus, in quibus patiens *licite* praefatos actus permittere potest, *graviter*, tali se periculo exponendo, peccaret. Non idem dicendum, si in ipso tantum delectatio etsi venerea suboriretur: id enim in casibus licitis *indirecte* accideret ex causa *licite posita*.

102. — **Notanda:**

a) Omnes conveniunt *tactus* (item *oscula* et *amplexus*) *specie* differre, inspectis circumstantiis novam *gravis* malitiae speciem addentibus, sive ex parte personae agentis, sive ex parte personae quae tangitur, etc. Ratio est, quia tactus personam materialiter et in concreto attingunt. Quare in confessione declarandum est utrum persona quae tacta fuit, coniugata, vel cognata, aut Deo sacra sit. Si vero agatur de tactibus personae solutae cum soluta, sunt qui docent declarandam esse in confessione diversitatem *sexus*, siquidem tactus in persona eiusdem sexus refertur ad *sodomiam*, et tactus in persona diversi sexus refertur ad *fornicationem*. Verum opinor id tunc solum esse in confessione aperiendum, cum inter tangendum accesserit pravus affectus sodomiam vel fornicationem patrandi: potest enim accidere ut quis alienam personam turpiter tangat unice ad experiendam de-

---

[1] Cfr. Ferraris, v. *Foemina*, n. 27; et Berardi, l. c., n. 915 et seqq., aliosque theologos ab his citatos, qui tamen paullo diverse hanc resolvunt quaestionem, et ad foeminas tantum coarctant; dum quaestio cum maiore ambitu erat pertractanda, atque etiam ad mares extendenda.

lectationem veneream vel pollutionem, quin ullam habeat intentionem cum ipsa sodomitice vel fornicarie se coniungendi. Quare, praescindendo a tali prava intentione, satis est si poenitens dicat: *me pollui ex tactu personae alienae*, et quidem quin teneatur aperire utrum tactu viri an foeminae id evenerit: tale enim discrimen materialiter se habet relate ad pollutionem.

b) Si sermo sit de *aspectibus,* omnes pariter conveniunt *specie* non differre, attentis praefatis personae, quae turpiter aspicitur, circumstantiis: nam aspectus non habet, prout tactus, naturam materialem et concretam, et a circumstantiis personae facile abstrahit. Sed sunt qui docent *aspectus* non praescindere a diversitate *sexus*, nam aspectus personae eiusdem sexus refertur ad *sodomiam*, et aspectus personae diversi sexus refertur ad *fornicationem.* Verum recole quae superius dixi de *tactibus.*

c) Si vero agatur de tactibus et aspectibus in *proprio corpore*, itemque de impuris cogitationibus, *specifica* differentia non datur: cum enim hi actus ex una parte non sint mali, nisi ratione delectationis venereae aut pollutionis, et ex altera complicem non habeant, poenitens in confessione eos reticere potest, et solum dicere se delectationem veneream vel pollutionem in seipso excitasse. Si forte sit persona Deo sacra, vel coniugata, hanc circumstantiam pandere tenetur; itemque si forte scandalum praebuerit.

Non est necesse ut poenitens in confessione declaret qua praecise corporis parte seipsum vel alios tetigerit aut aspexerit; dummodo pandat *in genere* utrum agatur de parte minus honesta, an de turpi, ut scilicet confessario gravitas peccati, vel periculi peccandi, cui poenitens se exposuit, innotescat. Si tamen poenitens declaret peccata *gravia* contra castitatem, quae patraverit occasione talium tactuum vel aspectuum, hos, utpote actus in se indifferentes, pandere

non tenetur: nisi forte adsit aliqua circumstantia, quam poenitens aperiat oportet: prout infra dicetur.

d) Tandem notandum est quod quando praefati actus (seu *tactus*, *oscula*, *amplexus*, *aspectus*, etc.) ordinantur tamquam media ad actum venereum explendum, seu ad fornicationem vel pollutionem, atque ex eadem passione procedunt, constituunt quid unum *morale* cum actu venereo completo, ideoque non sunt in confessione explicandi. Si autem ad actum venereum perveniri non potuerit, peccatum distinctum constituunt, unum tamen numero, si ex eodem motu passionis processerint. Ita omnes. Verum in hoc postremo casu mihi videtur poenitens confessioni satisfacere, si dicat se habuisse intentionem ac desiderium efficax fornicandi vel seipsum polluendi, tacendo circa media adhibita: non secus ac qui emit gladium, atque in latebris se abdidit ad inimicum occidendum, quin tamen occiderit, satisfacit confessioni, si solum dicat: habui intentionem homicidium patrandi. Nisi tamen pandenda sit circumstantia scandali, vel cooperationis alterius peccato, vel adfuerint circumstantiae novas *gravis* militiae species addentes: quibus in casibus, praefati actus, qui actum venereum praecesserunt, aperiendi sunt. — Attamen si praefatae circumstantiae pandi possint in sua *specie infima*, ita ut confessarius noscere valeat de quo vel de quibus peccatis agatur, dicti actus praetermitti possunt. Hinc puta si Titius intentionem fovens fornicandi cum Caia coniugata, hanc publice amplexatus ac osculatus sit cum gravi adstantium scandalo, in confessione omittere potest accusationem de amplexu et osculis, et tantummodo se accusare quod intentionem habuerit patrandi adulterium, et quod grave scandalum praebuerit. Sane peccatum adulterii iam foret in sua specie infima accusatum. Item peccatum scandali: quia hoc a diversis peccatis minime specificatur.

CAPUT II.

DE PECCATIS INTERNIS CONTRA CASTITATEM.

103. — Voluntas *tribus* actibus elicitis ferri potest in obiectum inhonestum: vel *desiderio*, vel *gaudio*, vel *complacentia*[1]. Hi tres actus veniunt sub nomine *consensus* voluntatis. De singulis.

104. — **De desiderio.** — Desiderium refertur ad obiectum inhonestum *futurum;* aut *praesens*, sed occultum: puta siquis desideret habere in somno visiones turpes, aut videre partes inhonestas personae alterius sexus, etc.

105. — Desiderium distinguitur in *efficax* et *inefficax*. Desiderium *efficax* habetur cum quis tendit *absolute* in obiectum inhonestum, cum proposito adhibendi media possibilia ad illud assequendum, sive dein media reipsa adhibeantur, sive non (quavis de causa); et si adhibeantur, sive finis obtineatur, sive non. Desiderium *inefficax* habetur, cum quis tendit in obiectum inhonestum sub conditione « *si possem* »: quae conditio sub duplici sensu intelligi potest: *a)* **physico**: puta si eunuchus utroque testiculo carens dicat: *me polluerem, si possem;* aut si Titius carcere detentus diceret: *si non essem in hoc loco, fornicarer; b)* **morali**, si nempe conditio excluderet grave incommodum: puta siquis dicat: *actio-*

---

[1] Theologi hunc actum elicitum voluntatis appellare solent *delectationem*. Sed ne confusio oriretur cum delectatione, quae est actus *intellectus* vel *sensus*, illum *complacentiam* appellavi.

nes inhonestas patrarem, si non essent accusandae in confessione, aut *si non adesset periculum diffamationis*, etc. Item si conditio excluderet ab actu illiceitatem: puta siquis dicat: *me polluerem aut fornicarer, si haec licita forent.*

106. — *Malitia specifica* desiderii tum *efficacis*, tum *inefficacis.*

a) Desiderium *efficax* induit eamdem vel easdem malitias, quae inest vel insunt actioni inhonestae *externae*, in quam fertur: et quidem non modo eas, quae insunt praefatae actioni *per se*, sed etiam quae accedunt *per accidens*, attentis scilicet circumstantiis novas malitiae *species* addentibus. Hinc qui desiderat fornicari cum persona ligata vinculo matrimoniali, aut voto solemni castitatis, praeter malitiam *fornicationis*, contrahit etiam malitiam *adulterii* aut *sacrilegii*. Ratio est, quia voluntas per desiderium fertur in obiectum *concretum*, seu prout est in se cum omnibus suis circumstantiis. Attamen ut contrahatur malitia etiam ex circumstantiis obiecti, necesse est ut hae ab agente praecognoscantur.

b) Desiderium *in efficax*, expressum sub conditione « *si possem* », considerata in 1°. et 2°. sensu, eamdem vel easdem malitias induit, ac desiderium *efficax:* tale enim desiderium conditionatum includit evidenter malam voluntatis intentionem legem formaliter transgrediendi, casu quo *impedimentum* aut *incommodum* non subsisteret. Quod attinet ad desiderium *inefficax* sub conditione: *si actiones inhonestae forent licitae*, theologi *communiter* docent tale desiderium esse illicitum, si versetur circa eas actiones, quae *nunquam* licitae evadere possunt: hoc enim in casu conditio malitiam obiectivam auferre non potest. Ut patet, hic agitur de desiderio conditionato, quod versetur circa eas actiones, quae reducuntur ad *manusturbationem* et *fornicationem*, quas proinde,

cum *nunquam* licitae evadere possint, nefas est desiderare desiderio conditionato *si forent licitae*, quia conditio malitiam obiectivam minime auferret. Itaque etiam in hoc casu desiderium *inefficax* desiderio *efficaci* est aequiparandum; ideoque per se *mortale* est [1]. Verum cum desiderio non debet confundi *naturalis propensio* seu *vitiosa proclivitas* ad actionem inhonestam, puta siquis dicat: *sentio quod ego me polluerem aut fornicarer, si lex prohibitiva non exstaret:* quod saltem *grave* non est.

c) Quod attinet vero ad eas actiones, quae solum *per accidens* inhonestae sunt, cum hae aliquando licitae evadere possint, non est peccaminosum eas desiderare sub conditione: *si forent licitae*, puta si Titius dicat: *legerem libros inhonestos*, vel *turpia adspicerem, tangerem, osculare*r, etc., *si haec mihi licerent*, seu si mihi non forent incentivum ad peccandum.

107. — **De gaudio.** — Gaudium refertur ad obiectum inhonestum *praeteritum,* aut actualiter *praesens* : puta siquis gaudeat de fornicatione iam patrata, aut de manusturbatione, quam hic et nunc patrat. — Gaudium aequivalet *approbationi.*

Malitia specifica. — Malitia eadem est, ac ea quae inest actioni, circa quam *gaudium* versatur, attentis etiam circumstantiis addentibus novas malitiae *species*, non secus ac de *desiderio* dictum est.

108. — **De complacentia.** — Complacentia refertur ad obiectum inhonestum *praesens in imaginatione.* Tale obiectum non potest esse nisi actio inhonesta *propria,* vel pro-

---

[1] Sunt tamen qui contra sentiunt, vel saltem nullam faciunt distinctionem. Cfr. COSTANTINI, *Inst. Th. Mor.*, n. 38, III.

pria delectatio sive venerea, sive sensualis, vel sensibilis, pollutio, aut distillatio: puta si Titius, effingens Caiam ut sibi praesentem, imaginetur eam amplecti, et cum ea copulam habere; vel si imaginetur experiri actualiter pollutionem, aut veneream delectationem. Complacentia sic exprimitur: *Haec actio inhonesta*, vel *hic effectus turpis mihi placet.* Complacentia a proposito exsecutionis seiuncta esse potest. Attamen in hac materia, complacentia de actionibus in se graviter turpibus vix separari potest a desiderio saltem inefficaci *(si possem)* eas perficiendi.

Malitia specifica. — Malitia complacentiae circa actiones, quae sunt *in se* inhonestae, seu circa *manusturbationem* et *fornicationem,* eadem est ac ea quae inest ipsi actioni externae, ad quam actio imaginata refertur. — Sed *probabile* est[1] complacentiam non desumere malitiam ex *obiecti* circumstantiis novas malitiae species secumferentibus. Quare *probabiliter* non habet rationem, puta, *adulterii* vel *sacrilegii*, complacentia de copula, quam solutus imaginatur perpetrare cum muliere coniugata vel ligata voto solemni castitatis. Sed si agens has etiam circumstantias intenderet, eius complacentia ab his quoque malitiam desumeret. — Certum tamen est malitiam desumi etiam ex circumstantiis, quae se habent ex parte *agentis*, puta si hic foret coniugatus aut castitatis voto ligatus.

109. — Quod attinet vero ad *complacentiam* de iis actionibus, quae solum *per accidens* inhonestae sunt, malitia erit *gravis*, vel *levis*, vel *nulla*, secundum quod actio imaginata *gravem*, *levem,* vel *nullum* influxum in subiecto agente exerceat. Hinc si, puta, Titius sibi imaginetur videre, amplecti,

---

[1] Cfr. s. Alphonsum, l. V, n. 15.

osculari, vel tangere partes sive inhonestas, sive etiam honestas personae alterius sexus, ad dispiciendam *gravitatem* peccati, videndum est quemnam influxum tales actiones imaginatae in ipso exerceant.

110. — Complacentia superius descripta dicitur *morosa*, quando voluntas, post sufficientem intellectus advertentiam ad malitiam praefatarum actionum, in hisce immoratur. — *Complacentia* est quidem distincta a *desiderio;* sed quando evadit aliquanto morosior, in desiderium degenerare potest.

111. — His praemissis, praefati tres actus eliciti voluntatis: *desiderium*, *gaudium*, *complacentia*, inspiciendi sunt seorsim: — *a)* relate ad actiones inhonestas externas; — *b)* relate ad immediatos harum effectus: delectationem veneream, pollutionem, distillationem; — *c)* relate ad effectus pollutionis; — *d)* relate ad delectationem sensualem, sensibilem, et intellectualem.

I. — **Quoad actiones inhonestas externas.** — 1° Quando agitur de iis actionibus externis, quae *directe* et *per se* excitant delectationem veneream, pollutionem aut distillationem, illicitum est eas desiderare, vel de eisdem gaudere aut sibi complacere. Ratio patet. Neque facienda est distinctio inter actiones, quae ponantur sine iusta causa, et eas quae ponantur cum iusta et proportionata causa, cum haec in casu nunquam dari possit. Itaque *nunquam* licet desiderare, vel gaudere, aut sibi complacere de actionibus, quae ad *manusturbationem,* et *fornicationem* reducuntur.

2° Quando vero sermo est de iis actionibus externis quae solum *indirecte* aut *per accidens* excitare valent delectationem veneream, etc., sed quae cum iusta causa poni non possunt, aut positae non sunt, ad dignoscendum utrum eas desiderare, vel de iis gaudere, aut sibi complacere sit pec-

catum *grave*, an *leve*, aut *nullum* peccatum, perpendendus est influxus, quem eaedem actiones exercere possunt, vel exercere potuerunt in ipso subiecto.

3° Quando agitur de eisdem actionibus, quae cum iusta et proportionata causa poni possunt, aut positae sunt, licitum est eas desiderare, vel de iis gaudere, aut sibi complacere, seposita tamen prava intentione circa delectationem veneream, pollutionem, etc. Quare ex. gr. confessarius licite desiderare potest perlegere libros de rebus turpibus pertractantes, ut in tribunali poenitentiae suo munere rite fungi possit; quemadmodum ei licet gaudere eos ad eumdem finem perlegisse. Medicus licite desiderare potest adspicere partes inhonestas alterius morbo affectas, ut efficaciter eis mederi possit; sicut ei licitum est gaudere de tali aspectu, eo quia apta remedia eisdem applicare potuerit.

II. — **Quoad delectationem veneream, pollutionem, distillationem.** — 1° Si delectatio venerea, pollutio, etc. habent vel habuerunt pro causa actiones, quae licite poni non possunt, aut licite poni non potuerunt, nefas est eas desiderare, vel de iisdem gaudere, aut sibi complacere. Ratio est, quia tales effectus forent aut *in se* aut *in causa* voluntarii. — *Malitia* eadem est ac ea quae inest ipsis praefatis *effectibus*.

2° Si delectatio venerea, pollutio, etc. habent vel habuerunt pro causa actiones, quae *licite* poni possunt, aut poni potuerunt, item si sermo sit de eisdem effectibus sponte oborientibus aut sponte obortis, an fas sit eas desiderare, vel de iis gaudere, non satis convenit inter theologos.

a) Relate ad *pollutionem* vel *distillationem* sponte et naturaliter oborientem *probabilius* affirmandum est: pollutio enim in casu *subiective* mala non est; sed neque *obiective*, nam est phaenomenon physiologicum, non secus ac emissio sudoris aut sanguinis, aliusve humoris; proinde eam

in casu desiderare vel de ea gaudere licet, sicut licitum est desiderare, vel gaudere de sudoris emissione, etc. Idem dicendum de distillatione. — Iuvat haec confirmare verbis Bouvier, qui quaestioni an liceat de pollutione gaudere respondet: « multi affirmant, dicentes eam ut talem nulla lege prohiberi: ita s. Thomas in 4 sent. dist. 9, q. 1, art. 1, ait: *Si placeat* (pollutio) *ut naturae exoneratio aut alleviatio, non creditur peccatum.* Adverte quod non dicat si placeat effectus pollutionis, sed si placeat ipsa pollutio »[1].

Si vero agatur de pollutione, vel distillatione, quae *indirecte* et *praeter intentionem* subsequatur ex causa licite posita, puta ex studio necessario vel utili scientiae medicae, vel ex auditione rerum turpium in tribunali poenitentiae, etc., est item *probabilius* licitum esse de ea *gaudere.* Et ratio est, quia talis pollutio non est nec *subiective,* nec *obiective* mala. — Sed numquid licitum est in hoc altero casu pollutionem *desiderare?* Negandum est, utpote quia *voluntaria* foret. Non est tamen illicitum, ob iustam causam, desiderare pollutionem alterius, puta si medicus alicui desideret pollutionem ex causa licite ponenda derivantem, quia illi valde utilis est.

b) Relate vero ad *delectationem veneream,* quae concomitatur pollutionem vel distillationem sponte et naturaliter obortam, affirmat Piscetta, inquiens: « Quia delectatio talis est, qualis est actio, quam ipsa consequitur, et pollutio naturalis est actio mere physica nullatenus mala ne *obiective* quidem: ideo neque delectatio eam comitata, mala est »[2]. Et idem dicendum foret de delectatione venerea, quae concomitatur pollutionem subortam *indirecte* et *praeter intentionem* ex causa licite posita.

---

[1] Cfr. *Diss. in sext. Decal. praec.*, pag. 62. — [2] Cfr. *De lux.*, n. 19.

Itaque in hisce casibus non est illicitum *gaudere* de venerea delectatione talem pollutionem concomitante ; dummodo tamen pollutio *active*, puta per corporis impulsus, vel per tactus non promoveatur ; secus foret peccatum *grave:* maior enim delectationis venereae gradus directe et voluntarie provocatus culpam lethalem constituit, cum in re venerea non detur materiae parvitas[1].

Num vero liceat *gaudere* de delectatione venerea ac de pollutione, quae concomitantur vel concomitatae sunt manusturbationem vel copulam violenter seu per stuprum peractam, distinguendum est : si patiens tale gaudium habeat dum actus peragitur, illicite agit : hoc enim, ut patet, idem esset ac actum ipsum (manusturbationem vel copulam) approbare : quod nefas est. — Si vero patiens gaudium habeat post actum plene consummatum, et siquidem in pollutionem et delectationem consenserit dum actus peragebatur, de illis postea licite gaudere non potest. Si autem patiens resistentiam adhibuerit atque consensum denegaverit dum actus peragebatur, item negandum est eum de pollutione ac de delectatione sic habita gaudere posse : quamvis enim *subiective* ex parte sui eae peccaminosae non fuerint, tamen *obiective* malae fuerunt ; iamvero lex naturalis non solum prohibet gaudere de actibus vel effectibus *subiective* malis, sed etiam de *obiective* talibus. — Idem vero dicendum de

---

[1] Cum igitur sermo est de pollutione et de delectatione venerea sponte obortis, vel indirecte a causa licite posita derivantibus, clausula « *remoto consensu* », quae in praefatis casibus a theologis apponi solet, locum habere non potest, cum licitum sit in ipsas consentire, seu de iis *gaudere*. — Et idem dicendum, in eadem hypothesi, relate ad delectationem *sensualem* ac *sensibilem*. Attamen cavendum est ne hac occasione voluntas feratur consensu in aliquam actionem illicitam, puta desiderando vel sibi complacendo de fornicatione aut de sodomia, etc.

gaudio pollutionis et delectationis venereae, quas ex ignorantia invincibili directe, vel indirecte quis sibi procuraverit; nisi is gaudeat potius de bono effectu inde secuto. Quare scripsit Lugo : « Potes ad finem sanitatis gaudere de pollutione procurata absque culpa propter ignorantiam invincibilem »[1].

III. — **Quoad effectus pollutionis**, *qui sunt naturae exoneratio, tentationum diminutio, vigor sanitatis*, etc., semper licitum est de iis gaudere, etsi pollutio fuerit *directe* vel *indirecte* voluntaria : nam licet quis peccet ob pollutionem forte voluntariam, non illicite tamen de eius effectibus gaudet. Ratio est, quia semper licitum est gaudere de *bono effectu*, sive hic procedat a causa bona, sive etiam a mala. — Num liceat eos desiderare etiam quando habere deberent pro causa pollutionem voluntariam, affirmandum est : nam quamvis quis peccet in causa, tamen non sequitur eum peccare etiam in effectu, qui per se bonus est. — Attamen cavendum est ne gaudium vel desiderium sit adeo intensum, ut vel evadat causa voluntaria et proxima subsequentis pollutionis, aut valeat in illicitum consensum voluntatem pertrahere.

IV. — **Quoad delectationem sensualem, sensibilem et intellectualem.** — Consensus in delectationem *sensualem* et *sensibilem*, sine iusta causa directe vel indirecte excitatas, peccatum est, sed *veniale* non praetergreditur (cfr. n. 40, III). — Consensus vero in *easdem delectationes* sponte vel indirecte ex iusta causa derivatas, *per se* nullum est peccatum, non secus ac superius dictum est de delectatione venerea pollutionem sponte obortam vel indirecte ex iusta causa excitatam concomitante. — Consensus in delectationem *in-*

---

[1] Cfr. *De poenit.* l. XIV, n. 389.

tellectualem seu *aestheticam*, quolibet modo obortam vel excitatam, nunquam *per se* peccatum constituit.

112. — **Notanda :**

a) Cum insit homini naturalis proclivitas ad venerea, et propensio erga personas diversi sexus, sedulo inspiciendum est in particularibus casibus utrum agatur de actu desiderii, an vero de actu naturalis instinctus, seu de impulsu instinctivo. Ut patet, talis impulsus nullum *per se* peccatum est. *In dubio,* si agatur de personis piis, pro actu naturalis instinctus standum est. — Et idem dicendum videtur de his, qui ex prava habitudine, quam diligenter quaerunt deponere, internos impulsus ad illicita experiuntur : scilicet agitur fortasse potius *de effectu habitus,* quam de *actu desiderii.*

b) *Desiderium* et *gaudium* versari possunt non solum circa actiones inhonestas *proprias*, sed etiam circa actiones inhonestas *alienas*, puta siquis desideret quod Titius fornicetur, vel gaudeat de fornicatione ab ipso perpetrata. In hoc casu, qui desiderat vel gaudet de actione inhonesta aliena, non peccat contra castitatem, sed contra *caritatem,* et quidem *graviter*, si alienum peccatum sit *formaliter grave*, nam desiderat, vel gaudet de aliena ruina spirituali.

c) Cum *complacentia* respiciat tantum actiones inhonestas *proprias*, complacentia de actione inhonesta proximi, vel de coitu animalium, deque horum partibus vel actibus turpibus dari non potest, sed vel *gaudium*, vel *delectatio,* quatenus est actus *intellectus* aut *sensus.* — Idem dicendum quoad naturalem aut artificialem pulchritudinem rerum inhonestarum, et relate ad *modum* ridiculum vel curiosum, quo actio inhonesta, sive propria sive aliena, peracta est : seu non habetur complacentia, sed vel gaudium, vel delectatio, prout supra.

113. — **Quaestio 1ª.** — *An licitum sit sponsis desiderare, vel sibi complacere de copula futura?*

R. — 1.° Affirmandum quoad *desiderium;* dummodo huius obiectum referatur ad tempus, quo contractum erit matrimonium. Ratio est, quia in hac hypothesi obiectum desiderii licitum est. Quod verum est, etsi tali desiderio coniungatur delectatio *intellectualis* vel etiam *sensibilis* haud notabiliter influens in sensualem et veneream. Hinc recte cum Sanchez et Sporer scribit Ferraris: « Sic sponsi possunt habere desiderium et delectationem rationalem de copula futura, eiusque delectatione capienda: cum enim ex ipsis sponsalibus contractis talis copula et delectatio aliquando futura sit eis licita, non tenentur eam aversari, vel de ea tristari, sed licite possunt de ea delectari delectatione rationali, dummodo caveant ne capiant delectationem veneream, et se exponant periculo consensus turpis, aut pollutionis » [1].

2.° Quod attinet ad *desideria* et *complacentias* circa copulam, quae referatur ad tempus, quod matrimonii celebrationem praecedit, ea, ut patet, illicita sunt.

114. — **Quaestio 2ª.** — *An liceat viduis gaudere vel sibi complacere de copula praeterita?*

R. — 1°. Quoad *gaudium*, affirmandum est: obiectum enim gaudii licitum est. Hinc recte Ferraris: « Possunt viduae habere gaudium, approbationem ac delectationem rationalem tantum voluptatis de copula praeterita, et delectatione adnexa: cum enim licita eis fuerit illa copula et delectatio, non tenentur illam modo reprobare, vel detestari, ut omnes concedunt » [2]. Consonat Lehmkuhl inquiens: « Si in rigore loqui volumus et accurate, *gaudium* (quod est so-

---

[1] V. *Delect. mor.* n. 32. — [2] L. c.

lius voluntatis approbatio) de voluptate habita viduae, non est *ex se* peccatum: sed facile fit propter periculum, si in illo gaudio immoratur »[1]. Facta igitur limitatione, de qua in sup. quaestione, non est illicitum *viduis* gaudere de copula praeterita.

2.° Relate ad *complacentias* circa copulam, quam *vidui* imaginentur hic et nunc exercere cum coniuge defuncto, illicitae sunt.

115. — **Quaestio 3ª.** — *Quomodo peccent hermaphroditae, eunuchi, et ii qui vasectomiam passi sunt?*

R. — 1°. Quoad peccata *interna*, praefatae personae peccare possunt prout ceteri, qui non sunt tales. Imo ordinarie perfecte eunuchi et qui vasectomiam completam passi sunt, maiorem activitatem psychicam in re venerea experiuntur, et consequenter maiori periculo consentiendi expositi sunt.

2.° Quoad peccata *externa*, haec, meo iudicio, statui possunt:

a) Relate ad *hermaphroditas* (loquor de hermaphroditis *imperfectis:* perfecti enim non dantur), hi per sexum completum peccare possunt prout ceteri. Tota difficultas est quoad sexum incompletum. Itaque si hermaphrodita seipsum manusturbet in sexu *incompleto*, videndum est an sexus hic sit masculinus, an foemininus. Si *primum*, et siquidem membrum sit susceptibile venereae delectationis, hermaphrodita seipsum manusturbans peccat *graviter*. Num peccet graviter etiam ratione pollutionis, scire oportet utrum capax sit seminis effusionis, an simplicis distillationis: pollutio enim proprie dicta *grave*, distillatio *leve* peccatum est. Si *alterum*, siquidem sexus foemininus incompletus sit susceptibilis venereae delectationis, hermaphrodita seipsum

[1] Cfr. t. I, n. 362.

manusturbans peccat peccato *gravi* ratione delectationis venereae, et peccato *levi* ratione distillationis. Si vero delectatio venerea absit, tunc nullum datur peccatum; quin imo in hoc casu negari posset suppositum, quod nempe exerceatur manustrupatio. — Quod attinet *ad copulam*, quam hermaphrodita exerceat cum alio, an peccet peccato *fornicationis*, distinctio facienda est. Si hermaphrodita in sexu incompleto foeminino copulam habeat cum alio sexus masculini, sed completi, peccat peccato *gravi* fornicationis, dummodo vagina adsit, et sit perfecta ac susceptibilis venereae delectationis. Si vero vel vagina careat delectatione venerea, vel adsit tantum vulva, etsi cum vagina initiali, non haberetur fornicatio, sed sodomia, fortasse coniuncta cum fornicatione *affectiva*. Si vero hermaphrodita per sexum incompletum masculinum copulam habeat cum foemina, videndum est utrum membrum sit susceptibile saltem distillationis, an minus; si *primum*, habetur *fornicatio*; si *alterum*, haberetur tantummodo *tactus impudicus*.

b) Relate ad *eunuchos*, et ad eos qui *vasectomiam* passi sunt, distinctio facienda est inter *perfecte* eunuchos vel sectos, et *imperfecte* tales. *Priores* seipsos manusturbando, vel fornicando peccant *graviter* ratione delectationis venereae, et leviter ratione distillationis (cuius tantum sunt capaces). *Posteriores* vero peccant *bis* graviter prout ceteri, seu ratione venereae delectationis, et ratione pollutionis proprie dictae, seu seminis effusionis, (cuius capaces sunt)[1].

116. — **Notandum.** — Sunt qui sedulo monent passim dari poenitentes, praesertim e rudioribus qui in tali versantur deceptione, ut tunc solum in peccata contra castitatem vel pudicitiam *consentire* putent, cum voluntatem

[1] Totam hanc quaestionem 3^am^, ut sciam, nemo unquam pertractavit.

habent ea externe exsequendi, seu opere complendi: qui error enormis est, a sacerdotibus pro viribus extirpandus. Sed utinam hic sisteret praefata deceptio! Ipse novi ex experientia quod, exceptis iis, qui in re morali instituti sunt, vel de malitia actuum internorum rite edocti fuerunt, fere omnes de actibus peccaminosis internis, non modo in materia luxuriae, sed etiam in ceteris omnino silent, et tunc solum de peccatis se accusant, cum ea reipsa actu externo patraverunt. — Huic deceptioni adde alteram perniciosissimam, de qua in *Theologia Pastorali* sermonem inieci, et quam hic iuvat in mentem revocare, scilicet non paucos reperiri poenitentes, praesertim rudes, qui sibi persuasum habent satis esse ad iustificationem *formulam* contritionis *ore tantum* proferre.

PARS SECUNDA

CAPUT UNICUM.

DE USU MATRIMONII.

117. — *Usus matrimonii* consistit in copula carnali apta ad obtinendam generationem, atque ad sedandam concupiscentiam: qui sunt matrimonii fines. In hac tractatus parte agendum erit: — *a*) *de copulae liceitate;* — *b*) *de copulae obligatione;* — *c*) *de iis, quae coniugibus sunt illicita;* — *d*) *de iis, quae coniugibus sunt licita.*

ARTICULUS I.

De copulae liceitate.

118. — Quod copula coniugalis sit *in se* licita, patet ex eo quod in praesenti rerum ordine procreatio prolis et humani generis conservatio aliter obtineri non potest. Confirmatur ex verbis *Genesis,* ubi legitur quod qui ab initio fecit hominem, *masculum* et *foeminam* fecit eos ut fierent *una caro* in ordine ad generationem, eis benedicente Deo ut crescerent et multiplicarentur super terram. Adde tan-

dem verba Apostoli in memoriam coniugum revocantis obligationem, quae ipsis incumbit sibi mutuo debitum coniugale reddendi [1].

119. — Verum copula coniugalis, quamvis sit licita *in se*, interdum illicita esse potest vel in *suo exercitio*, vel ratione *finis*, vel ratione *circumstantiarum*. Inspiciendum est igitur quando sub hisce respectibus copula sit *licita*, et quando *illicita*. Itaque:

120. — Ut copula sit licita in suo **exercitio**, oportet imprimis ut coeuntes matrimonio *valido* iuncti sint.

a) Si matrimonium sit *certo* nullum, neque convalidari possit, copula nunquam licita esse poterit. — Si vero matrimonium convalidari possit, eo quia obstat impedimentum *iuris eccles.*, a quo solet dispensari, copula, usque dum dispensatio obtenta non fuerit, *illicita* est; ideo qui noscit matrimonii nullitatem, aliam partem monere debet de copulae illiceitate. Quod si altera pars citra grave incommodum, puta ob periculum separationis, moneri non possit, tenetur aliquem verisimilem praetextum adducere ut a reddenda copula abstinere possit. Et si ne hoc quidem fieri possibile sit, inter alios docet Noldin esse *probabile* in hoc casu gravissimi incommodi impedimentum cessare eadem ratione, qua in casu perplexo iuxta probabilem multorum sententiam impedimentum cessat. Subdit vero interim ad cautelam petendam esse dispensationem [2]. — Idem tamen affirmari nequit, quando ambo coniuges noscant matrimonii nullitatem, etsi citra *grave* incommodum non possint manere separati quoad torum, et instet periculum incontinentiae.

---

[1] I. Cor. VII, 3. — [2] Cfr. l. c., n. 97; item Ballerini, VI, n. 532; et Lehmkuhl, II, n. 826.

b) Si vero matrimonium sit *dubie* (dubio *probabili*) nullum, is qui dubitat tenetur rem diligenter explorare; et interea copulam *petere* nequit, sed *reddere* tenetur alteri in bona fide versanti. Scilicet, ait D'Annibale, ex iure quod alteri coniugi competit, poterit certam sibi conscientiam facere de obligatione reddendi; vel *clarius:* in dubio tenetur reddere, ne se exponat periculo laedendi *iustitiam*. Posthac, etsi dubium non potuerit vinci, pro matrimonii validitate in *utroque foro* standum est; ideoque pars quae dubitat non solum copulam *reddere*, sed etiam *petere* potest. Fit exceptio relate ad impedimentum *ligaminis:* quo casu qui dubitat de morte prioris coniugis, *petere* nequit usque dum non constet prius coniugium fuisse solutum, et quidem quamvis alterum seu posterius matrimonium contraxerit *bona fide* [1]. — Si *probabiliter* dubitet *uterque* coniux, *neuter* copulam petere aut reddere potest, usquedum diligentia adhibita non fuerit ad dubium deponendum. Posthac vero valent quae superius dixi. — Si accidat casus *urgentis necessitatis*, applicari possunt quae superius dicta sunt. — Dubium *leve* spernendum est.

121. — Insuper *quaeri* potest an coniuges, ad copulam licite habendam, *potentes* ad generationem esse debeant?

R. — *Controvertitur*. Sunt qui putant impotentiam etsi perpetuam, quae accidat post initum matrimonium, puta si vir utroque testiculo privatus fuerit, aut si mulier fuerit perfecte excisa, seu privata *ovariis* vel *utero*, aut utroque, non obstare quominus copula licite exerceri possit. Ratio est, quia quamvis non obtineatur finis principalis matrimonii, obtineri potest finis *secundarius*, seu concupiscentiae sedatio. — Alii vero contra sentiunt: nam cum ma-

[1] Cfr. D'Annibale, p. III, n. 478.

trimonium institutum sit ad prolis generationem, hac impossibili effecta, cessat ratio copulam peragendi. Neque valet ratio adducta a patronis alterius sententiae, siquidem consecutio finis secundarii supponit consecutionem finis principalis. Haec sententia saltem *verior* apparet. Attamen *in praxi*, sive quia res adhuc censetur dubia, sive quia coniuges difficillime parsuaderi possunt ut a copula coniugali abstineant, omnes conveniunt eos in *bona fide* esse relinquendos, ne scilicet e peccato *materiali* transeant ad *formale* cum periculo admodum probabili eorum aeternae damnationis. — Certum tamen est *sterilitatem* aut *impotentiam temporaneam* minime copulam illicitam reddere.

122. — Praeterea ut copula sit licita, debet esse *perfecta* (n. 18): haec enim est aptior ad hoc ut sequatur generatio, utque concupiscentia plene quiescat. Si coniuges *minus perfecte* copulentur, puta si vir *parum* vaginam penetret, peccant *leviter;* si vero copulentur *imperfecte*, seu vel sine vaginae penetratione, aut sine depositione seminis in vagina, *graviter* peccant. Attamen cum, iuxta *physiologos*, etiam per copulam minus perfectam atque imperfectam generatio possibilis sit, excusantur a peccato, si habeant *iustam causam* sic coeundi, puta si in verendis infirmitate laborent, etc. Si vero ita se gerant, ut impediant generationem, *mortaliter*, ob pravam scilicet intentionem, in utroque casu peccant.

Si coniuges nullo modo, ne imperfecto quidem, copulam exercere valeant, haec eis prorsus *illicita* est. Si tamen vir non sit certus de actus coniugalis inconsummatione, quatenus identidem illum perficiat, saepe tamen non valeat perficere, copula est licita, et uxor debitum reddere tenetur. Ratio est, quia *in dubio* de felici exitu, vir nequit suo iure privari. Si vero contingat ut semen extra vas effundatur,

id censetur evenire *per accidens;* ideo ad peccatum minime imputatur.

123. — Copula, sive *perfecta*, sive *minus perfecta*, sive *imperfecta*, ut sit aptior ad hoc ut generatio sequatur, et concupiscentia sedetur, fieri debet ita ut mulier sit *succuba*, iacens modo supino, et vir *incubus*. Cum vero etiam alii situs apti sint, causa etsi tenuis excusat a priore situ servando. Imo interdum mutatio situs necessaria evadit, puta ob curvitatem, aegritudinem, scandalum, periculum abortus, vel si aliter coniuges perfecte coire non possint, aut si mulier, utpote gracilis vel aegrotans, virum pinguem et rudem sine nimio incommodo sustinere non valeat, etc. Verum, ut admonet Antonelli, si mutatio situs per se non obstat foecundationi, tamen quoad *valetudinem* potest esse non parum noxia: nam si *vir sit succubus*, in coitu magnam ipse defatigationem patitur; incommoda cerebralia et etiam haemorrhagiae uretrales sequi possunt: *stando* vero multo graviores effectus oriri queunt, quales ex. gr. dolores in renibus, macies, atrophia crurum, paralysis etiam perfecta cum immutatione anatomica partis inferioris medullae spinalis, ut ex autopsia aliquando cognitum fuit [1].

Haud raro coniuges copulam habent *more pecudum*. Etiam hic situs est aptus ad generationem; imo, ut notat Antonelli, talis situs unice servatur ex. gr. in Sudan et apud Esquimenses et Konjagos et in Australia, et generationi semper providetur [2]; ideo, aliqua interveniente causa, licitus est, etsi forte coitus incipiatur supra vas praeposterum; dummodo terminetur in vase naturali, facta huius penetratione, ac in eo seminis iaculatione. Qua in re animadvertit Berardi quod poenitentes una eademque phrasi uti

---

[1] Cfr. *Med. Past.*, t. II, n. 753. — [2] L. c., n. 749.

solent ad indicandum hunc concubendi modum, et sodomiam, et dicunt: *rem habuimus a retro*. Ut confessarius intelligat qua de re agatur, interrogare poterit an eo modo prolis conceptio possibilis sit [1]. Verum quod suggerit cit. auctor non videtur sufficiens ad dignoscendum an coniuges rite coierint, nam potest esse quod ex tali coitu generatio fuerit quidem possibilis, sed quod copula fuerit tantum *imperfecta*, nempe si vir ad ostium vaginae tantummodo semen iaculaverit. Proinde puto coniuges praeterea interrogandos esse an in tali modo coeundi actus coniugalis fuerit perfectus, non secus ac in parte anteriore mulieris fit, vel fieri debuisset. — Si occasio offeratur, praestat ut confessarius poenitentem moneat de malitia in variis modis coeundi, ne, ubi nulla vel levis tantum adest culpa, *mortaliter*, ex erronea conscientia, peccet.

124. — Dum copula peragitur, mulier nihil efficere potest quod generationi positive obsistat. Verum omnes *physiologi* conveniunt in affirmando non obstare foecundationi, si mulier, dum coit, mentem ad alia divertat. Qua in re ita Eschbach: « Licitum, ait, videtur mulierem ob laudabilem finem, v. g. ne nimis fatigetur, vel etiam ex indifferentia, aut pietatis causa, in actu coitus ad alia divertere, ne concitetur ad seminationem, cum huiusmodi diversio ad alia, neque proderit quidquam, neque nocebit » [2]. — Attamen mulier peccare potest *graviter* ex erronea conscientia, si nempe id faciat *intentione* frustraneam reddendi foecundationem.

125. — Copula expleta, mulier nihil agere potest quod retentionem aut ingressum seminis in uterum impediat. Quare

---

[1] Cfr. Pr., t. I, n. 1015. — [2] Cfr. *Disp. phys-theol.*, pag. 69.

graviter peccat adhibendo statim *irrigationes vaginae* atque *uteri*, praesertim ex aqua frigida, vel ex liquidis acidis, aut etiam ex urina: quae certe *nemaspermata* occidunt. — Verum non obstat retentioni aut ingressui seminis in uterum, si mulier statim post copulam *surgat*, *mingat*, *saltet*, et similia faciat; et quamvis pars seminis e vagina sic expelli possit, tamen pars seminis, quae manet vaginae parietibus adhaerens, est plusquam sufficiens ad generationem. Minctio vero, ut patet, nullo modo semen e vagina expellere potest, cum canalis uretralis a vagina distinctus sit ac separatus. Attamen mulier peccare potest *graviter*, si *intentionem* habeat impediendi generationem.

126. — Ratione **finis** copula evadit *illicita*, quando exercetur ob *solam voluptatem*. Patet ex prop. 9 damnata ab Innocentio XI. Verum talis deordinatio, omnibus consentientibus, *veniale* non excedit. — E contrario est *licita* in sequentibus casibus:

a) Ad prolem procreandam. Ratio patet: hic enim est finis *primarius* matrimonii.

b) Ad sedandam concupiscentiam: nam hic est finis *secundarius* matrimonii.

c) Ad reddendum alteri coniugi debitum coniugale: coniuges enim tenentur *ex iustitia* ad debitum sibi mutuo reddendum; ideo talis finis *honestus* est.

d) Ad evitandum periculum incontinentiae sive ex parte sui, sive ex parte alterius: id enim exigit caritas vel erga seipsum, vel erga proximum.

e) Ad sanitatem conservandam: matrimonium enim licet primario institutum sit ad *speciei* conservationem, secundario institutum est etiam ad conservationem *individui*.

f) Ad quemlibet alium finem honestum obtinendum, puta ad amorem fovendum vel instaurandum.

In hisce casibus tamen finis *primarius*, seu prolis procreatio, positive impediri non debet. Sed ex altera parte non est necesse, ut, dum copula habetur, explicite intendatur. Imo sunt qui putant aliquando licitum esse *simplici affectu* eam excludere, puta si proles sit relative numerosa, et familia bonis careat.

127. — Ratione **circumstantiarum** copula evadit *illicita:*

a) *Ratione scandali.* Quare coniuges sub *gravi* interdicuntur copulam exercere *palam*, quando scilicet alii videre possunt, ac scandalum sumere. Hinc etiam coniuges sedulo curare debent ne filii coitum advertant, praesertim si in eodem cubiculo eodemque lecto una cum ipsis decumbant.

b) *Ratione loci sacri.* Sed vide limitationem ubi de *sacrilegio*, n. 78, II.

c) *Ratione voti castitatis.* Seu si coniuges ex mutuo consensu, tali voto temporaneo vel perpetuo se obstrinxerunt, hoc tempore nequeunt licite copulam exercere. Et idem dicendum, si se mutuo obligarunt ex promissione *iurata.*

d) *Ratione damni sive ex parte coniugum, sive ex parte prolis gignendae.* Hinc illicita est copula, quae habeatur *statim* post *prandium* vel *coenam:* in quo, scribit Eschbach, a veteribus moderni non dissentiunt, animadvertentes non raro a mensa ad copulam transeuntes repentina morte plecti[1]. Consonat Antonelli, qui ait copulam, quae habeatur statim post *prandium*, absque periculo non evadere, donec *duae* vel *tres* horae saltem a prandio transierint[2]. — Item copula censetur *illicita* post multam potationem liquorum acriorum, et *generatim* tempore *ebrietatis*, praesertim si ebrius sit maritus: ebrietas enim inducit in prolem gignendam mor-

[1] Cfr. l. c., pag. 120. — [2] Cfr. l. c., t. II, pag. 808.

bos vel gravissimos, prout mentis alienationem, scrophulam, amentiam. — Insuper copula evadit *illicita,* si peragatur tempore, quo coniuges gravibus animi passionibus puta iracundiae vel odii exagitantur, aut magna corporis debilitate afficiuntur: haec enim omnia, experientia teste, in animum et corpus prolis procreandae refunduntur. Utinam has cautelas servarent coniuges! E contrario, ordinarie ipsi non cogitant, nisi de brutali instinctui satisfaciendo. « Valde lugendum est, exclamat cl. Antonelli, quod in actu copulae tantum quaeratur voluptas carnalis, et nullo fere modo cogitatio feratur ad effectum, quem natura per coitum intendit. Ordinarie loquendo, dici potest formationem novi hominis non dirigi ratione, sed casu, et coniuges nullam curam habere ut soboles gignatur fortis et in omnibus sana. Et nil aliud affert funestiores consequentias prolis, quam status physicus et moralis tempore coitus... Iterum dicimus statum coniugii requirere convenientem praeparationem ad tantum opus, quae per aptam tantum educationem moralem et religiosam comparari potest »[1].

e) *Ratione nimiae frequentiae.* Nam copula nimis repetita gravia incommoda et damna secumfert. « Quare, monet Antonelli, hortandi sunt coniuges, praesertim recentes, ubi casus aderit, ne copulam ineant ex quacumque levissima causa vel ludu, sed tantum quum eius necessitatem aut sufficientem rationem utilitatis habent. Amplexus enim frequentiores multa mala afferunt, ut supra de impotentia et sterilitate recensuimus »[2]. Et idem dicendum de copula, quae nimio ardore peragatur.

---

[1] Cfr. l. c., n. 744.

[2] Cfr. l. c., n. 740. — Ceterum copulae frequentia haud omnibus aequale damni periculum affert, cum inspicienda sit diversitas aetatis, professionis, status, alimentationis, sanitatis, etc.

128. — *E contrario* copula ratione *circumstantiarum* non est *illicita* in sequentibus casibus:

a) Si copula exerceatur *diebus festis*, aut die susceptae *communionis*, vel nocte quae communionem praecedit. Sunt qui *levem* obligationem inducunt, quando copula e *mera voluptate* habenda foret, vel habita est. Sed, ut animadvertit Génicot cum Ballerini, quando copula unice exercetur ob voluptatem, saepe aderit aliquod periculum incontinentiae, ac proinde iam versamur in casu, quo de consilio tantum copula dissuadenda est, vel communio differenda [1]. — Item *verior* sententia docet nullam culpam esse, secluso scandalo vel contemptu, si coniuges ante nuptialem benedictionem matrimonium consumment. Ratio est, quia Conc. Trid. *hortatur* tantum, ut abstineant [2].

b) Si ex copula nascatur proles *imperfecta*, aut *mortua* quin baptizari possit: nam tales effectus procedunt *indirecte* ex causa, quae *iuste* ponitur, qualis est copula coniugalis, praesertim si exerceatur ad evitandum periculum incontinentiae: quod in praxi fere semper habetur.

c) Si alteruter coniux sit *excommunicatus*, etsi nominatim. « Certe, ait Craisson, non excommunicatus potest debitum ab excommunicato petere: id concessit Gregorius VII cap. *Quoniam multos*, caus. II, q. 3. — An autem liceat excommunicato petere? Quidam negarunt; sed, iuxta *communem* et *veriorem* sententiam, id ipsi licet in periculo incontinentiae, ob rationem quod leges Ecclesiae non obligant cum tanto incommodo »[3].

129. — Copula *per se* licita est *quacumque hora* peragatur. — Horae tamen matutinae videntur esse praeferen-

---

[1] Cfr. t. II, n. 204. — [2] Cfr. Sess. XXIV, cap. 1. *De reform. matr.* — [3] Cfr. l. c., n. 274. — Item s. Alphonsus, l. VI, n. 931.

dae : tunc enim status *physicus* ac *psychicus* coniugum ob nocturnam quietem melior effectus, coitum reddit minus laboriosum, efficaciorem ad generationem, atque procreandae prolis valetudini magis utilem.

130. — Copula quae habeatur solum tempore, quo prolis procreatio est difficilis vel impossibilis, *veniale* est, si id unice fiat ad evitandum fastidium generandae et educandae prolis. Si vero subsit iusta causa, puta evitandi prolem numerosiorem, quam familia, utpote inopia laborans, sufficienter alere et educare non valeat, vel ad removendum periculum incontinentiae, *nullum* peccatum adesse censetur.

131. — **Quaestio 1ª.** — *An uxor licite possit per manusturbationem se excitare ad seminationem, seu distillationem, si vir iam seminaverit, et a copula se retraxerit?*

R. — Affirmandum est cum sententia hodie communi, ob sequentes rationes : *a*) quia ipsum ius coniugale dat uxori talem facultatem, assequendi scilicet etiam ex parte sua illam plenam voluptatem, quam copula carnalis secumfert; *b*) quia voluptas non plene satiata gravia incommoda, et magnam valetudinis perturbationem inducit; *c*) quia plena voluptatis satisfactio in muliere coniungitur cum quadam humoris seu muci secretione, quae licet non sit necessaria ad generationem, est tamen huic valde utilis; *d*) quia, ut ait s. Alphonsus [1], si mulieres post incoeptam carnalem irritationem ex copula derivantem tenerentur in casu naturam compescere, forent iugiter expositae magno periculo mortaliter peccandi, cum frequentius viri, quia calidiores, prius seminent.

---

[1] Cfr. l. VI, n. 919.

Patet vero posse mulierem ad talem finem licite uti sive manu, sive etiam aliquo instrumento inanimato. — Numquid uti etiam possit manu viri sui? Affirmandum est, praesertim si mulier nequiret per seipsam talem actum complere. Id innuit etiam Capellmann, inquiens: « Qua in re nihil refert utrum ab ipsa, an a viro tactus fiant »[1]. Fortasse obiicies periculum pollutionis ex parte viri: sed hoc, statim post copulam expletam, *rarissime* adesse poterit. Neque praeterea obiiciatur ex parte mulieris praefatum actum non esse necessarium, cum vir posset copulam reiterare: nam constat ex experientia membrum virile, facta seminis eiaculatione, statim retrotrahi, et ordinarie iterum non erigi, nisi post aliquod temporis intervallum.

Quae superius dicta sunt, valent etiam quando *citra culpam mulieris* peracta fuit copula *minus perfecta*, aut etiam *imperfecta*, at cum emissione seminis ad vaginae ostium: nam in hisce quoque casibus ex una parte copula apta est ad generationem, et ex altera verificantur fere omnes rationes superius adductae.

An mulier actum coniugalem licite complere possit, si ex sola culpa viri copulam *onanisticam* passa sit, quin vir ne ad ostium quidem vaginae semen effuderit, aut si *impotentia* perpetua laboret, per se negandum est, utpote quia talis actus ad generationem minime refertur, et ad simplicem manusturbationem reducitur. Verum, inspectis rationibus *prima* et *secunda* superius allatis, et insuper attenta sententia (quae censetur saltem *extrinsece probabilis*) eorum qui dicunt coniuges *impotentes* effectos licite coire posse ad concupiscentiam sedandam, videtur licitum esse mulieri etiam in praefatis casibus actum coniugalem complere; saltem talis mulier in *bona fide* foret relinquenda.

---

[1] Cfr. *Med. Past.*, pag. 139.

Si vero agatur de copula *onanistica,* muliere consentiente, peracta, certum est ipsam haud ius habere actum coniugalem complendi: qui enim matrimonium pessumdat, matrimonialibus iuribus frui iam non potest; et si inde damna ipsi obveniant, ea sibi imputare debet. — Ex his patet etiam quid sentiendum sit de muliere, quae modo *fornicario* vel *adulterino* copuletur.

132. — **Quaestio 2ª.** — *An e converso vir, si mulier ante eius seminationem a copula se retrahat, actum coniugalem incoeptum, manusturbatione licite complere possit?*

R. — Negandum est virum posse licite in casu actum coniugalem complere. Et ratio est, quia, ut recte inter alios animadvertit Antonelli, « haec seminis emissio nullo modo refertur ad complementum actus generativi, et habet rationem verae manusturbationis. Cum enim vir per retractionem mulieris non amplius vas muliebre possideat, actus in se expletus est, dummodo iterum copulam non attentet » [1]. Et haec quidem valent praesertim si tempore abruptionis copulae necdum pollutio incoepta sit. Si vero pollutio iam coepta fuerit, vir non potest, quamquam aliquam partem seminis in mulieris vagina deposuerit, positive eam continuare ac complere. Attamen non tenetur eam cohibere, et potest *passive* seu *permissive* tantum se habere. Quare sententia nonnullorum theologorum affirmantium quod, si actus coniugalis consummatio permittitur uxoribus, concedenda sit etiam viris, reiicienda est, utpote quia *paritas* neganda est.

Verum quid iudicandum si vir sit *impotens* et pollutionis incapax, aut si sit quidem *potens*, tamen is sit qui ob obsti-

---

[1] Cfr. vol. II, n. 842

natam uxoris perversitatem toties quoties copulam, ante seminationem, abrumpere cogatur? Puto applicari posse ea quae superius dicta sunt de uxore *impotente*, vel quae copulam *onanisticam* patiatur. Certe, si vir in praefatis circumstantiis actum coniugalem consummet in *bona fide*, neque facile de actus illiceitate persuaderi, aut ab eo complendo deterreri possit, eius bona fides deturbanda non est. Sane si coniugibus durum est a coniugali copula abstinere, durissimum ac valde molestum est eam iam coeptam ad finem non posse perducere; proinde ad contrarium credendum vel faciendum difficulter induci possunt.

Quae dicta sunt, respiciunt casum, quo vir, abrupta per mulierem copula, iam cum ipsa ne imperfecto quidem modo coire possit; nam si, abrupta copula *perfecta*, possit vir copulam *imperfectam* iuxta ostium vaginae uxoris peragere, ei licitum foret tali modo actum coniugalem complere.

133. — **Quaestio 3ª.** — *An peccet vir, si, iam peracta seminis eiaculatione, se retrahat, non expectata seminatione, seu distillatione mulieris?*

R. — 1º. Certum est virum sic agentem non peccare contra generationem: nihil enim efficit, quod generationem impediat.

2.º Certum est virum, qui sine iusta causa a copula in casu se retrahit, *venialiter* peccare, impediendo scilicet mulieris *distillationem*, quae licet non sit necessaria ad generationem, hanc tamen faciliorem reddit. Praeterea peccat *graviter*, quia mulier ius habet ad plenam voluptatem ex copula capiendam: finis enim copulae est non solum prolis generatio, sed etiam concupiscentiae sedatio. Verum in praxi semper adesse poterit iusta causa cur vir post seminationem se retrahat, puta sensus defatigationis ex coitu consequens, timor morbi, etc. Ideo haec quaestio videtur *otiosa*, prae-

sertim cum constet ex experientia membrum virile, facta eiaculatione, immediate relaxari ac retro trahi.

134. — **Quaestio 4.ª** — *An peccet vir, qui se retrahit a copula, quando uxor iam seminationem, seu distillationem passa est, aut in huius probabili periculo versatur?*

R. — 1.° Vir peccat *graviter*, si, se retrahendo, semen extra mulieris vaginam effundat. Sed, hoc secluso, nullimode peccat contra generationem, quia ipse sic agens nihil efficit quod generationem impediat.

2.° Vir in casu *leviter* peccat ob frustrationem mulieris distillationis. Sed si iusta adsit causa cur a copula desistat, nullimode peccat, puta, iuxta s. Alphonsum [1], si adsit periculum mortis, scandalum aliorum; et praeterea, iuxta Antonelli, etiam magna perturbatio ac defatigatio, timor alicuius morbi, spasma in pede aut in crure, incommoda ac gravis positio mulieris, quae dolorem afferat, magna concitatio ac pulsatio cordis, vel si vir non possit semen iaculare, aut valde sero, et similia [2]. Et haec quidem valent, etsi vir versetur in periculo pollutionis, utpote quia in praefatis casibus *per accidens*, et *praeter intentionem* pollutio eveniret.

3.° Si vir antequam copulam incipiat, intentionem habeat se postea, citra tamen periculum pollutionis, retrahendi, *venialiter* peccat, scilicet ob tactum impudicum, quem inutiliter peragere intendit.

135. — **Quaestio 5.ª** — *An peccet mulier, si seminationem seu distillationem cohibeat vel impediat, cum vir iam seminaverit, ac a copula se retraxerit?*

R. — 1.° Certum est mulierem non peccare ex eo quod

---

[1] Cfr. l. VI, 919. — [2] L. c., n. 844.

non assequitur plenam voluptatem: huic enim iuri suo renuntiare potest.

2.° Cum distillatio foeminae sit valde utilis ad foecundationem, mulier sine iusta causa eam cohibens *venialiter* peccat. — Si vero id ageret intentione impediendi generationem, *mortaliter* peccaret.

136. — **Quaestio 6.ª** — *An peccent coniuges, qui copulam ea intentione exercent, ut ante seminationem eam abrumpant?*

R. — 1.° Coniuges peccant *graviter*, si adsit periculum ne vir semen extra mulieris vaginam effundat. — Periculum distillationis ex parte foeminae *veniale* est [1].

2.° Secluso periculo pollutionis, coniuges peccant *leviter* ob tactum impudicum, quem sine iusta causa peragunt.

3.° Iusta interveniente causa copulam sic habendi, atque abrumpendi, a *veniali* etiam excusantur. Iustae causae censentur, puta si seminatio noceat saluti, vel si coniuges, utpote pauperes, timeant ne nimia graventur prole; item si fovendus sit mutuus amor, aut avertenda sit alterius zelotypia. Sunt qui hanc aliam addunt causam, seu: *ad sedandam concupiscentiam:* verum per abruptionem copulae, quin sedetur concupiscentia, e contrario haec magis augetur. — Ceterum haec duo animadvertenda sunt: *a*) periculum pollutionis, nisi vir senex, vel debilis, aut frigidus sit, in casu semper adesse: coitus enim quam maxime influit in provocandam pollutionem; *b*) abruptionem copulae, si frequenter fiat, pessimos effectus, non secus ac onanismum, tandem aliquando in utroque coniuge inducere.

4°. Si alter coniux sine alterius consensu a copula se

---

[1] Cfr. quae dicta sunt sub num. 52, II.

retrahit, *graviter* peccat, eo quia in re, quae communiter censetur *gravis*, illius ius laedit [1].

ARTICULUS II.

De copulae obligatione.

137. — Per legitimum matrimonialem contractum coniuges sibi mutuo transferunt ius in proprium corpus relate ad prolis generationem. Ex quo oritur illud quod communiter a theologis appellatur *debitum coniugale*, obligans *ex iustitia* et *sub gravi*, non modo ob rationem superius allatam, sed etiam ob periculum incontinentiae, quod, attenta intima inter coniuges vitae consuetudine, maximum est. Et quod tale debitum sit *ex iustitia* et simul *grave*, satis innuit Apostolus, inquiens: « *Uxori vir debitum reddat; similiter et uxor viro* »; quia, subdit: « *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier* ». Concludit vero: « *Nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram* » [2]. Quare a debito reddendo non excusat amor servandi continentiam, aut desiderium perfectioris vitae, aut communio suscipienda, et alia huiusmodi.

---

[1] In solutione superius expositarum quaestionum, in nonnullis recedendum erat a doctrina antiquorum theologorum, qui cum sibi persuasum haberent mulieres seminationem pati necessariam ad generationem, non secus ac virum (quod hodie a *physiologis* uti falsum demonstratum est), iuxta eorum persuasionem easdem quaestiones resolvere debuerunt.

[2] I. Ad Cor. VII, 3-5.

138. — Omnes consentiunt nullam *per se* dari obligationem *petendi* debitum coniugale: coniuges enim tali iuri licite renuntiare possunt; neque hoc uti teneri ad prolem procreandam, siquidem, si velint, praesertim ob exercitium virtutis, licite vivere simul possunt ut *frater* et *soror*. — Attamen *per accidens* obligari possunt *ex caritate* ad debitum *petendum*, si nempe copula carnalis necessaria sit ad removendum a se vel a comparte periculum incontinentiae, aut ad fovendum vel instaurandum mutuum amorem. Nihilominus, cum *caritas non obliget cum gravi incommodo*, excusantur coniuges, si hoc interveniat, a debito *petendo*. — Item obligarentur coniuges petere debitum, si prolis susceptio necessaria foret ad praecavendum grave religionis aut reipublicae damnum.

139. — Verum si ordinarie nulla per se datur obligatio petendi debitum, adest tamen obligatio gravis ex iustitia illud *reddendi* ad petitionem alterius coniugis. Ex parte *viri* ordinarie requiritur petitio *expressa*; sed ex parte *mulieris* sufficit etiam *tacita* aut *interpretativa*: mulieres enim ordinarie ob insitam naturalem verecundiam, quamvis fortasse copulam vehementer cupiant, eam petere expresse non audent.

Coniux qui denegat debitum alteri coniugi illud expresse vel tacite aut interpretative (in sensu explicato) petenti, *graviter* peccat contra iustitiam; cui peccato accedere possunt etiam aliae gravis malitiae species, puta si coniux debitum reddere renuens alterum coniugem mortalibus peccatis exponeret, mutuum amorem extingueret, iurgia, adulterinas consuetudines, ruinamque familiae provocaret [1]. — Denegationi aequivalere possunt difficultates et quaerimo-

[1] Sanchez, l. II, n. 10.

niae absque iusta causa in medium adductae, maxime si uxor nonnisi coacte debitum redderet [1]. — Item *interpretative* denegationi debiti aequivaleret absentia a domo et lecto coniugali absque iusta causa, et sine alterius coniugis consensu. — Tandem coniuges *graviter* peccant in casu, etiam seipsos *impotentes* reddendo ad debito satisfaciendum, puta mediante ieuniis ac laboribus immoderatis, voluntariis pollutionibus, carnali consuetudine cum aliis personis, etc.

140. — Attamen non censetur saltem graviter peccare coniux, qui aliquando tergiversatione, suasione vel precibus alterum coniugem avertat a debito exigendo, si nempe hic ex una parte serio et instanter non petat, aut repulsam aegre non sit laturus, et ex altera non versetur in periculo incontinentiae. — Item, secluso hoc periculo, censetur *leve* denegare semel in mense debitum coniugi saepe petenti; vel debiti redditionem differre ad breve tempus, puta de vespere ad mane, vel de die ad noctem, et alter coniux non aegre, sed benevole consentiat. — Uxores tamen hortandae sunt ut pro posse faciles et promptas se exhibeant ad viri petitioni satisfaciendum. — A reddendo debito excusare potest *grave incommodum*, ut infra dicetur. Sed non excusat incommodum *leve*, puta alterius coniugis graveolentia, viri pinguedo, dolor non gravis in genitalibus, tenuis febris, et similia. Item, ait Gury, « non excusatur a debito reddendo uxor ob ordinaria partus, graviditatis aut nutritionis incommoda, nec ob dolores graves quidem, sed tempore breves, nec ob dolores diuturnos, sed moderatos, v. g. capitis per plures menses post partum, nec ob sanitatem aliquantisper debilitatam: quia haec omnia conditioni matrimoniali adnexa sunt » [2].

---

[1] Berardi, Pr. t. I, n. 1050. — [2] Cfr. t. II, n. 916.

141. — Debitum coniugale pluribus de causis denegari licite potest, seu:

142. — **Ratione adulterii** ab alterutro coniuge patrati; ex quo fit ut coniux innocens ad coniugis adulteri petitionem non teneatur debitum reddere. Id eruitur aperte ex c. V et XIX Matthaei. Ratio est, quia frangenti fidem, fides merito non servatur, *ex reg. 75 Iur. in 6.* Coniux innocens vero non solum habet ius denegandi debitum coniugi adultero, sed etiam ius habet illum expellendi, aut ab eo se separandi quoad *torum* et *habitationem* [1]. — Attamen si coniux innocens velit, potest coniugem reum non modo retinere, verum etiam ei debitum reddere, cum id nullo iure prohibeatur.

Adulterii crimini aequiparantur *sodomia* ac *bestialitas*, imo quilibet *turpis concubitus*, prout colligitur ex cap. *Idololatria*, 5, caus. 28, q. 1, ubi de mente s. Augustini haec habentur: « Ex quo intelligitur quod propter illicitas concupiscentias, non tantum quae in stupris cum alienis viris aut foeminis committuntur, sed omnino quaslibet, quae animam corpore male utentem a lege Dei aberrare faciunt et perniciose turpiterque corrumpunt, possit sine crimine et vir uxorem dimittere, et uxor virum, quia exceptam facit Dominus causam fornicationis, quam fornicationem... *generalem* et *universalem* intelligere cogimur ».

143. —Verum ut coniux reus adulterii vel sodomiae, etc. iure exigendi debitum privatus censendus sit, requiritur *pro-*

---

[1] Si pars innocens velit divertere a coniuge adultero, cfr. quae dixi *de divortio* in Parte altera *Theologiae Pastoralis*, sub n. 95 et seqq., ubi exponuntur omnes conditiones requisitae, ut divortium *licite* fieri possit; atque edicitur quando divortium fieri possit absque interventu publicae auctoritatis, et quando ille requiratur.

babiliter ut coniux innocens crimen agnoverit; proinde usque dum hoc illum lateat, debitum petere et exigere licite potest [1]. Coniux innocens vero ut coniugem reum suo iure privare possit, debet esse moraliter certus de illius crimine; ideo non sufficiunt simplices coniecturae, aliqualis suspicio, vel probabilitas.

144. — Ius amissum a coniuge reo iterum acquiritur: — *a*) si alter etiam coniux in unum vel alterum ex praefatis criminibus lapsus sit: tunc enim iniuriae iam compensatae essent; — *b*) coniugis innocentis condonatione sive *expressa*, sive *tacita*, puta si is sciens alterius crimen, et amissum ius petendi debitum, sponte et omnino libere debitum reddat, aut petat.

Animadvertit vero Berardi quod si adulter esset maritus, tunc pro bono pacis, et ne peius contingat (viri enim, prout recte notat s. Alphonsus, si eis debitum denegetur, deteriores fiunt) uxor patientiam adhibere, et debitum reddere forsan deberet, maxime si secus ruina familiae pertimescenda foret [2].

145. — **Ratione impedimenti affinitatis** matrimonio supervenientis ob alterius coniugis incestum patratum cum consanguineis (non autem cum affinibus) alterius in *1°*. vel *2°*. *gradu*, lineae sive *rectae*, sive *transversalis* [3].

Ad contrahendam *hanc affinitatem* requiruntur:

1°. Ut inter praefatas personas intercedat copula, et quidem perfecta ac consummata. Quare talis affinitas non contrahitur per copulam imperfectam, aut per copulam, quae fuerit quidem perfecta, sed non consummata, seu in qua non

---

[1] Sanchez, l. 1, disp. 68, n. 2; Noldin, l. c., n. 100. — [2] l. c., n. 1092.

[3] Ex c. Siquis 1. *De eo qui cognovit*, et ex decl. Gregorii XIII.

acciderit seminis effusio, aut saltem distillatio. Eo minus contrahitur per solos tactus impudicos etsi turpissimos. — In *dubio* copula praesumitur, ex communiter contingentibus, perfecta ac consummata.

2°. Ut copula, superius descripta, habita fuerit *scienter* et *libere*. Quare ab hac affinitate contrahenda saltem *probabilius* excusat ignorantia non solum *iuris* (seu legis), sed etiam *facti*. Item excusat metus gravis ac violentia absoluta. Ratio utriusque est, quia hic agitur de poena et quidem *extraordinaria*, a qua incurrenda excusat ignorantia (dummodo non sit *affectata*), et metus gravis ac violentia[1].

Exorta affinitate, coniux innocens non tenetur reddere debitum coniugi reo, utpote quia hic *ipso facto* a iure illud petendi excidit; et quidem etiamsi delicti particeps (puta suadendo, auxilium praestando, etc.) fuerit. — An vero coniux innocens debitum petere et reddere licite possit, *controvertitur*. Sunt qui *negant*, eo quia secus coniux innocens cooperaretur peccato gravi coniugis rei, eiusque malitiam propriam faceret[2]. Alii e contrario communius et probabilius *affirmant*. Ratio est, quia coniux innocens per crimen alterius iure suo privari non potest. Ad rem s. Alphonsus: « Si petat coniux incestuosus, qui... privatus est iure petendi, alter non tenetur quidem, sed bene potest ei reddere, cum ipsi semper competat ius tam petendi quam reddendi »[3]. — Attamen si coniux innocens citra periculum incontinentiae vel quodvis aliud gravamen abstinere possit a debito petendo vel reddendo donec coniux reus ab impedimento fuerit dispensatus, puto *ex caritate* ad id teneri.

Si *uterque* coniux affinitatem contraxerit, *neuter*, ut patet, petere ac reddere potest. Proinde in hoc casu com-

---

[1] Cfr. s. Alphonsum, l. VI, n. 1071-1074. — [2] Cfr. Sanchez, l. IX, disp. 6, n. 11. — [3] Cfr. *Hom. Apost.*, tr. XVIII, n. 46.

pensatio non datur, prout de adulterio ex utraque parte patrato superius dictum est. Ratio vero cur in dicto casu compensatio non detur, est, quia praefata affinitas rationem habet poenae, ad quam tollendam dispensatio necessaria est.

146. — Verum haec notentur:

a) Coniux incestuosus nequit debitum petere, etsi incestus sit *occultus* non modo aliis, sed etiam coniugi innocenti: secus enim, cum tale crimen occultum manere soleat, lex inutilis foret.

b) Coniux qui ob incestum amisit ius petendi debitum, non prohibetur exercere actus *imperfectos:* lex enim prohibens copulam *poenalis* est, ideoque *stricte* interpretanda.

c) Non prohibetur debitum petere coniux, qui incestum cum *propriis* consanguineis perpetravit: ex hoc enim non oritur affinitas cum altero coniuge. Attamen prohibetur ratione *adulterii* [1].

d) Coniux incestuosus, ut possit ius suum iterum acquirere, necesse habet obtinere dispensationem, quae dari potest etiam ab *Episcopo* et a *Confessariis regularibus*, etiam extra confessionem. Episcopus vero talem facultatem delegare potest, et quidem non modo pro singulis vicibus, sed etiam habitualiter. — Simplices confessarii dispensare nequeunt citra specialem concessionem.

e) Relate ad *praxim* a confessario sequendam cum

---

[1] Est saltem probabilius parentes baptizantes aut suscipientes de baptismo proprios filios minime contrahere impedimentum petendi debitum, et quidem quamvis id faciant ex industria et praeter necessitatem. Ratio est, quia tale impedimentum contrahi in casu, nullo iure probatur.

coniuge *incestuoso*, cfr. Partem quartam *Theologiae Pastoralis*, sub num. 95.

147. — An in praefatis casibus, quibus coniux ob *adulterium, sodomiam, bestialitatem, incestum* amisit ius exigendi debitum, coniux innocens teneatur *ex caritate* reddere et etiam petere debitum, quando scilicet periclitatur illius continentia, affirmat D'Annibale cum s. Thoma et s. Alphonso, inquiens: « Si alter amiserit ius petendi, alter ex caritate tenetur reddere quoties illius continentia periclitatur, immo petere debet »[1]. Negat vero inter alios Noldin, qui ait: « Compars innocens, quae periculum peccandi in coniuge advertit, nec debitum petere nec petenti morem gerere tenetur: caritas enim, ex qua coniugem e periculo peccandi per se eximere tenetur, non obligat cum gravi incommodo; sed grave incommodum hoc est comparti innocenti. Cum enim incestus contineat adulterium, pars innocens ex eo ius habet exigendi separationem; petitione autem vel debiti redditione hoc ius amittit, quod parti innocenti grave incommodum esse potest »[2]. Consonat Piscetta[3]. Quae sententia *verior* est, etiam quia, si coniux innocens pergat convivere cum coniuge reo, cum hic saepe in periculo incontinentiae versari possit, tenebitur saepe debitum vel petere vel reddere: quo casu ad quid mere irrisorium reduceretur ius vel privilegium coniugis innocentis.

148. — **Ratione damni,** sive alterutri coniugi, sive foetui eventuri. Hinc non tenetur coniux debitum reddere, si alter *lue venerea, phthisi, lepra,* vel quovis alio contagioso morbo affectus sit. Quod coniuges affecti *lue venerea* teneantur sub *gravi* abstinere a copula, omnes fere recentiores docent: talis enim morbus est maxime noxius sive coniugi, qui ea non sit affectus, sive proli tum concipiendae,

[1] P. III, n. 469. — [2] Cfr. l. c., n. 99. — [3] L. c., n. 82.

tum iam conceptae. Audiatur Capellmann: « Syphilis est morbus adeo gravis, horrendus, atque infamis, ut meo quidem iudicio, copula semper interdicenda sit, etiamsi tantum alter coniugum ea laboret. In hoc morbo periculum per copulam alterum benevalentem coniugem inficiendi evitari fere nequit... Accedit etiam quod in prole, quae ex tali copula nascitur, sequelae perniciosissimae sunt. Infantes sunt syphilitici sicut parentes, saltem plerumque; abortus frequentissimus erit, vel immaturus editur infans, etc... Hac in re ne periculum incontinentiae quidem causam esse honestantem existimo »[1]. Ego, admissa hac sententia in sua thesi generali, puto posse excipi casum, quo praefatus morbus sit tantum initialis vel saltem non gravis, alter coniux de morbo et periculo moneatur, et generatio probabiliter non sit secutura. — Relate vero ad *phthisim*, haec scribit Antonelli: « Quoad copulam in phthisi habendam, notandum est grave periculum infectionis adesse per oscula, et, uti videtur, aliquando etiam per copulam, quamvis per hanc non proximum sit. Cum vero phthisici magna concupiscentia saepe agitentur, et ex *modico copulae usu* grave damnum illis non proveniat, videtur haec posse eis permitti. Magna parsimonia tamen illis in hac re omnino commendanda est. Quod vero filii, ex hac copula forte geniti, aliquando phthisici aut ad phthisim praedispositi nascantur, non videtur obesse, tum quia hereditas morbi aliquando per saltus procedit, et ideo non *semper* certum est prolem infectam evadere, tum quia, ut ait s. Thomas, « quamvis proles gigneretur infirma, tamen melius est ei sic esse, quam penitus non esse... », tum quia demum certi esse non possumus utrum ex copula hic et nunc habenda proles revera generetur »[2].

---

[1] Cfr. *Med. Past.*, pag. 155. — [2] Cfr. l. c., n. 802.

149. — Quod attinet ad morbos *non contagiosos* videndum est in peculiaribus casibus utrum *graves* sint, aut per copulam graves evadere possint, prout ordinarie morbi genitalium; an vero tantummodo sint *leves:* de quo medicus foret consulendus. In priore casu debitum denegari potest; non item in altero. — Secundum s. Alphonsum debitum denegari vel saltem differri potest etiam in casu, quo coniux paullo ante e balneo exierit, aut venae sectionem subierit[1]. Sed contra sentit Eschbach, docens antiquata esse habenda quae veteres de liceitate coniugalis debiti post balneum aut venae sectionem movebant, cum nihil sit quod, spectatis physiologiae legibus, tali copulae contradicat.

150. — Num mulier tempore *menstruationis*, *praegnationis*, *puerperii*, *lactationis* debitum viro suo reddere teneatur, ordinarie theologi ac physiologi affirmant, si excipias tempus *puerperii*, ob rationes allatas n. 23. — Tempore vero *praegnationis* solummodo cavendum est primis tribus aut quatuor mensibus, ne ob copulas saepius iteratas, vel nimio impetu peractas *abortus* accidat: qui tamen praecaveri facile potest situm mutando. — Si mulier, cum consensu mariti, prolem alienam suscipiat ex pacta mercede proprio lacte nutrire, a reddendo debito tempore lactationis excusatur: notum est enim, subsecuta praegnatione, lac ordinarie minus nutritivum evadere, minui, ac cessare; ex quo praefata proles damnum haud tenue persentiret.

151. — **Ratione periculi mortis,** mulier non tenetur reddere debitum, si experta sit se parere non posse sine probabili vitae periculo[2]. — Sed *verius* potest reddere et

---

[1] L. VI, n. 910. — [2] S. Alphonsus, l. c., n. 953.

petere ad evitandum maximum periculum incontinentiae sive sui, sive alterius coniugis, nam ad evitandum peccatum licet etiam vitam in discrimen adducere[1]. Ideo, animadvertit Génicot, non sunt sub *gravi* deterrendae a copula mulieres, quibus medici praedixerint fore ut in proximo partu moriantur: nam et haec praevisio, experientia teste, non raro fallit peritissimos, et satis remotum periculum est, cum ipsa conceptio partusque evolutio incertae sint[2].

152. — **Ratione amentiae vel ebrietatis.** Omnes conveniunt coniugem sui compotem non teneri reddere debitum alteri coniugi, qui sit mentis impos ratione vel amentiae, vel gravis ebrietatis, etc. Ratio est, quia coniux mentis impos non peteret ut homo, sed ut bestia. Et hoc magis valet si mulier sit demens, et metuendum sit ne conceptum foetum enecet[3]. Si vero agatur de *ebrietate*, addendum est etiam, ait Antonelli, quod concepti in ebrietate facillime nascuntur proclives ad alienationes mentis, ad amentiam ac scrophulam, et alcool potest inficere etiam, iuxta doctorem Capellmann, ovulum ipsum et semen; ad hoc accedit quod proles facile nasci potest etiam hebes ac surdomuta[4].

Sunt tamen theologi qui sic limitant: nempe si coniux ebrius vel amens aut alias constitutus extra rationem, accessurus esset ad aliam, vel se polluturus, tunc uxor teneretur *per accidens* et *ex caritate* saltem reddere ad impedienda mala inde emergentia[5]. Sed cum caritas non obliget cum *gravi incommodo* sive proprio sive alieno, talis obligatio non subsisteret, quoties copula in prolis damnum verteret; proinde in peculiaribus casibus videndum est utrum

---

[1] Sanchez, l. VII, n. 102: D'Annibale, l. c. — [2] T. II, n. 544. — [3] S. Alphonsus, l. VI, n. 948; Sanchez, l. IX, 23; D'Annibale, l. c. — [4] L. c., n. 807. — [5] Cfr. Ferraris, v. *Matrim.*, n. 21.

proles iam concepta sit, an minus, aut etiam an possibilis sit generatio.

153. — **Ratione immoderatae petitionis.** Casus hic virum praecipue respicere potest. Cum copula vires physicas debilitet, immoderata copulae repetitio haud levia incommoda lapsu temporis secumferre potest, praesertim si coniuges constitutionem debilem ac ad morbos proclivem habeant. — Verum non convenit inter theologos quando petitio debiti immoderata dici possit. Ut haec quaestio meliore modo definiatur, praestat cum Berardi distinguere inter petitionem *ordinariam*, et petitionem *pro aliquo casu raro*. Loquendo igitur de petitione ordinaria, apud nos, ait cit. auctor, petitio incipit esse immoderata, si vir *habitualiter* una vel altera copula quavis nocte non esset contentus: aut si *habitualiter* non solum nocte, sed etiam die uxorem quaereret. Unde post Croix recte scripsit Voit: « Videtur nimis frequenter peti, si maritus non contentus nocturna redditione, etiam per diem petendi habeat consuetudinem » [1]. — Si agatur vero de petitione *extraordinaria*, non censetur immoderata, si saepius fiat, puta *ter* vel *quater* in eadem nocte, aut semel ac iterum in nocte atque in die: quae petitio potest habere locum ex. gr. in magno periculo incontinentiae, vel post diuturnam absentiam unius coniugis ab altero, aut si coniux admodum raro soleat debitum petere, etc.

154. — **Ratione intentionis ingrediendi in religionem** potest coniux, si necdum consummatum sit matrimonium, denegare debitum, si intentionem habeat intra duos menses ingrediendi religionem. C. *Ex publico* 7, De convers. coniu-

[1] Cfr. Pr. t. I, n. 1099.

gum; C. *Commissum* 16, De spons. et matr. — Sunt tamen qui putant dictum *bimestre* concedi, etsi coniux intentionem religionem ingrediendi hic et nunc non concepisset. S. Alphonsus ait: « Quilibet coniugum licite potest intra bimestre debitum negare, quamvis non habet animum intrandi in religionem, quia utitur iure suo »[1]. Et clarius Sanchez: « Dicendum est, inquit, non teneri, donec bimestre transeat; quia id tempus conceditur ad deliberandum de ingressu religionis. Quamvis autem hodie neuter coniux ingredi intendat, potest tamen propositum in melius mutare, et ita licebit id tempus expectare »[2]. Verum sententia contraria censetur *probabilior.*

155. — **Ratione inopiae ac numerosae prolis** est *probabile* posse debitum denegari: nam etiam in hoc casu damnum coniugum ac prolis habetur. Attamen periculum incontinentiae praecavendum foret: quod in praxi saltem e parte viri difficillimum est.

Sed quid iudicandum, si familiae inopia foret voluntaria ob viri prodigalitatem ac vitia, aut si ipse nolit familiam alere? *Per se* uxor non peccaret debitum denegando, prout inter alios sentit Sporer, inquiens: « Quaeso te, confessarie, an peccati damnabis miseram uxorem, quae marito omnia obligurienti, ipsa cum liberis famem et aerumnas tolerans, ne amplius multiplicetur miseranda proles, debitum negat, priusquam se emendet? »[3] — Verum in praxi *per accidens* debitum foret reddendum ad evitanda mala maiora, nam ex reiterata denegatione, iurgia, animorum dissociatio, et fortasse etiam separatio erunt timenda. Attamen ob solum periculum incontinentiae videtur non dari obligatio de-

---

[1] L. VI, n. 958. — [2] L. II, n. 25. — [3] *De sexto,* n. 416.

bitum reddendi, prout sentit etiam Génicot [1], cum et ipsum voluntarium sit.

156. — **Ratione copulae illicitae.** Certum est debitum denegari licite posse quando copula foret illicita *in se*, puta si velit haberi modo *onanistico* aut *sodomitico*; vel si esset illicita ex circumstantia, quae se teneat ex parte utriusque coniugis, puta si peteretur copula in loco sacro vel publico, aut cum periculo abortus, etc.

Si vero copula foret illicita ob circumstantiam, quae se habeat tantum ex parte coniugis petentis, puta ratione voti castitatis aut non petendi debitum, non satis constat an ab altero coniuge debitum denegari possit. S. Alphonsus [2] cum aliis theologis obligationem reddendi *affirmat*. Ratio haec esse videtur, quia debitum coniugale est obligatio *iustitiae*, quae non resolvitur aut suspenditur ex hoc tantum, quia alter coniux illud sine peccato petere non potest. — Nonnulli vero *negant*: seu docent alterum coniugem neque teneri neque posse debitum reddere, quia secus compartis peccato cooperaretur. — Ego puto has sententias posse conciliari: seu videndum est utrum coniux, qui puta emisit votum non petendi debitum, hoc *serio* et *absolute* exigat; an minus. Si *primum*, alter coniux tenetur reddere: in hoc enim casu licite permittit peccatum, quod unice ab alterius malitia pendet; si *alterum*, neque tenetur, neque *ex caritate* potest debitum reddere; nisi adsit ex parte petentis vel reddentis periculum incontinentiae.

157. — **Ratione voti simplicis castitatis**, etc. Hac in re inspiciendum est utrum votum castitatis, etc. emissum fuerit *ante*, an *post* matrimonium.

---

[1] Cfr. t. I. n. 533. — [2] Cfr. l. VI, n. 944.

a) *Quando votum emissum fuit ante matrimonium.* Qui matrimonium init ligatus voto castitatis, graviter peccat quia se exponit periculo proximo illud violandi. Inito matrimonio, illud servare tenetur; proinde debitum petere nequit. Num teneatur reddere, videndum est utrum compars votum ignoraverit, an minus. Si *primum*, reddere tenetur; si *alterum*, minime, quia compars censetur voti observantiae assensisse. In utroque casu, consulendum est coniugi qui vovit, per dispensationem; praesertim si voverit vir, nam in hoc casu gravosum foret mulieri debitum semper petere. — Idem dicendum de *voto virginitatis.* Sed hac amissa sive per copulam, sive per pollutionem voluntariam, votum cessat *per se*, cum evaserit servatu impossibile. — Si sermo sit de voto *non nubendi*, inito matrimonio, iam votum cessavit, ut patet. — Si agatur autem de voto *ingrediendi in religionem*, illud subsistit usquedum matrimonium consummatum non fuerit: matrimonium enim nondum consummatum semper solvi potest per ingressum in religionem; proinde qui tale votum emisit, neque petere neque reddere potest, secus *graviter* peccat. Sed, consummato matrimonio, debitum petere ac reddere potest.

b) *Quando votum emissum fuit post initum matrimonium.* Votum castitatis emissum post initum matrimonium ab utroque coniuge ex mutuo consensu, valet; ideoque neuter debitum petere vel reddere potest. Sed putat Piscetta esse *probabile* posse virum irritare votum uxoris: quo resoluto, uxor potest petere, et votum viri, utpote sibi gravosum, indirecte irritum facere [1].

Si vero *alteruter* coniux votum perfectae castitatis voverit, et siquidem id fecerit, *altero inscio*, votum nullius roboris esse censetur, quia factum *de re non meliore*, qualis

[1] L. c., n. 91.

est debiti recusatio; si vero emissum fuerit *cum alterius consensu*, valet; ideoque qui vovit, debitum petere non potest, sed illud reddere tenetur; nisi alter ius petendi amiserit, aut huic renunciaverit.

Si autem agatur tantum de voto *non petendi debitum*, votum valet, etiam inconsulto altero coniuge, quia cum coniuges non teneantur petere debitum, sed tamen ius habeant, huic renuntiare possunt causa pietatis ac religionis; nisi ex una parte agatur de voto viri, et ex altera grave foret pudori mulieris (quod ordinarie accidit) debitum semper petere: quo casu votum viri foret de re illicita, ideoque nullum; sed saltem illud ab uxore, utpote sibi gravosum, irritari potest [1].

158. — **Ratione gravium iniuriarum**, etsi hae non sint ex iis, quae ius dant ad divertendum, aliqua vice denegari vel saltem differri potest redditio debiti, ad ostensionem scilicet iustae indignationis, atque ad coniugis, qui iniuriam intulit, emendationem. Sed in particularibus casibus inspiciendum est num forte denegatio aut dilatio debiti possit esse causa graviorum iniuriarum aut malorum: quo casu coniugi iniuria affecto actus virtuosus foret exercendus, non solum veniam dando, sed etiam debitum reddendo.

159. — *Quaeritur* an coniux, praeterquam tenetur debitum petenti reddere, teneatur etiam in se admittere actus incompletos alterius coniugis, independenter a copula, et citra pollutionem?

R. — Hac in re ita Bucceroni: « Affirmat s. Alphonsus (n. 934). Sed respondendum videtur: negative, *ratione iusti-*

---

[1] Ordinarie dissuadendi sunt sponsi, praesertim iuniores, a vovendo perpetuam castitatem, quia, ut ait Deus, *decrescit amor coniu-*

tiae. Nam coniux ius proprie et stricte loquendo non habet, nisi ad debitum petendum actus coniugalis; ad alia vero ius non habet proprie et stricte loquendo in rigore iusti tiae, nisi in ordine ad redditionem illius debiti. Ratione vero *caritatis*, puta ad vitandum coniugis peccatum, ad fovendum eius amorem et familiae pacem, etc. potest etiam coniux teneri ad illos actus admittendos, nisi tamen grave adsit incommodum, cum caritas non obliget cum gravi incommodo » [1].

160. — *Quaeritur* an mulier, quae seipsam *sterilem* effecit, possit petere ac reddere debitum?

R. — Siquidem agatur de simplici sterilitate, *affirmative* respondendum est: nam quamvis mulier *graviter* peccaverit seipsam sterilem reddendo, seu impediendo data opera quominus semen (*ovula*) naturalem finem generationis assequeretur; tamen nunc potest debitum petere, illudque reddere tenetur, non secus ac aliae *steriles*, cum sit indifferens utrum sterilitas a natura ipsa, an ex arte processerit [2]. — Haec, ut patet, valent etiam relate ad *virum.* — Num vero coniuges *impotentes* effecti, debitum petere ac reddere licite possint, dixi superius ubi de *copulae liceitate*, sub. n. 121.

161. — *Quaeritur* quomodo peccet coniux, qui in casu copulae illicitae ob patratum adulterium vel incestum, aut ob aliquam aliam ex praefatis rationibus, per vim ab altero coniuge copulam extorquet?

R. — Praefatus coniux certe non peccat contra *casti-*

---

galis, remittitur animorum nexus, acriusque pungit carnis stimulus: unde confessarius tale votum nec suadere nec permittere debet.

[1] Cfr. l. c., n. 203. — [2] Bucceroni, l. c., n. 134.

tatem, cum copulam habeat cum suo legitimo coniuge. — Peccat tamen; sed peccati *species* desumenda est ex qualitate virtutis, quae offenditur. Ita si copulam per vim extorqueat coniux adulter, hic peccat contra *iustitiam;* si incestuosus, peccat etiam contra legem poenalem Ecclesiae, seu contra *obedientiam* Ecclesiae debitam; si is qui votum castitatis emisit, peccat contra *religionem,* etc.

ARTICULUS III.

De iis, quae coniugibus sunt illicita.

162. — **Relate ad actus externos.** — Coniugibus *graviter* illicitae sunt:

I. — Omnes actiones, quae ad *manusturbationem* et *fornicationem* revocantur (cfr. cap. I, art. I): quae actiones in casu, ut suis locis notatum est, induunt etiam malitiam *adulterii.*

II. — Omnes actiones, ex quibus *indirecte* sequi potest delectatio venerea, pollutio aut distillatio, quoties coniuges eas ponant sine iusta et proportionata causa.

III. — Omnes actiones, quae sunt *contra* fines matrimonii: prout *onanismus,* qui peccatum *grave* constituit; vel *praeter* eosdem fines: prout exercere opus coniugii ob *solam voluptatem.* Id tamen *veniale* non excedit, quemadmodum constat ex seq. propos. 9 damnata ab Innocentio XI: « *Opus coniugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus culpa caret ac defectu veniali* ». Ex qua prop. eruitur quod, si matrimonii fines (procreatio prolis, ac concupiscentiae sedatio) non excludantur, quamvis coniuges in coeundo de iis non cogitent, nullum in hoc peccatum habetur.

163. — Attamen quod attinet ad *veneream delectationem* controvertitur an, seclusa pollutione vel huius periculo, coniuges *graviter* peccent, eam sive *indirecte*, sive etiam *directe* quaerentes in compartis absentia, aut independenter a copula, ad solam voluptatem captandam.

1.ª Sententia, *probabilius, affirmat*[1]. Ratio est, quia delectatio venerea sicut est peccatum *grave* pro solutis, ita idem peccatum constituere debet etiam pro coniugibus, quoties scilicet eam quaerunt aut in eam consentiunt independenter a copula habenda. Sane venerea delectatio in coniugibus non habet rationem finis, sed *medii* ad hoc ut copulam facilius perficiant in ordine ad consecutionem finium matrimonii. Independenter igitur a copula delectatio venerea coniugibus aeque interdicta est, ac solutis.

2.ª Sententia, quae censetur *probabilis, negat*: secluso tamen, inquiunt patroni huius sententiae, pollutionis periculo. Rationem clare explicat Berardi: « Delectatio venerea, ait, inter solutos est grave peccatum, ut omnes norunt, si voluntaria sit; sed inter coniuges non est ita. Ratio est, quia ipsi sive propter cogitationem copulae habitae vel habendae, sive propter adeo magnam consuetudinem, propinquitatem et confidentiam, sive propter facilitatem procedendi ad verba tenera, blanditias, tactus, etc., huiusmodi delectationibus sunt nimis expositi; unde si deberent sub gravi cavere ne iisdem consentiant, tunc matrimonium in laqueum damnationis converteretur; et proinde talis lex subsistere non potest »[2].

Verum haec *altera sententia,* meo iudicio, nullum habet solidum fundamentum, imo falso supposito laborat, siquidem supponit dari delectationem *veneream* citra pollutionem aut distillationem, vel citra harum periculum proxi-

---

[1] Ofr. s. Alphonsum, l. IV, n. 936. — [2] Cfr. Pr., n. 996.

mum: quod verum non est, iuxta ea quae dixi de motibus carnalibus ac de venerea delectatione sub nn. 13 et 16. Sane patroni huius sententiae certe habent ut *mortale* etiam pro coniugibus delectationem veneream, quae coniungitur cum *actuali* pollutione aut distillatione. Insuper necessario ut *mortale* habere debent etiam delectationem veneream, quae inest actibus *proxime praeviis* pollutioni vel distillationi, utpote quia huiusmodi actus absque proximo pollutionis aut distillationis periculo exerceri non possunt. Maneret igitur ea delectatio, quae concomitatur genitalium erectionem seu commotionem, sive imperfectam sive etiam perfectam; at haec delectatio non est venerea, sed *sensualis*, quae *veniale* non praetergreditur. Iamvero de tali delectatione fieri non potest quaestio an admittat parvitatem materiae, cum sit in se peccatum *ex genere suo veniale*. Nihilominus praefata sententia retineri potest quoad ipsam delectationem *sensualem*, quatenus haec, quae pro solutis est peccatum *veniale*, pro coniugibus *nullum* sit peccatum: quod ut *probabile* habendum est, quando coniuges delectationem sensualem captent *ob solam voluptatem*; ut *certum* vero, si id faciant ob aliquam iustam causam, puta si se invicem turpiter tangant mutui amoris instaurandi causa, vel ad avertendas ab altero coniuge suspiciones infidelitatis, vel etiam ad obediendum alteri coniugi actus turpes exigenti, etc.: quibus in casibus nullimode peccant, etsi forte *indirecte* suboritura sit delectatio venerea vel pollutio. Tandem animadvertendum est haec valere pro iis tantum, qui in legitimo matrimonio vivunt; minime vero pro *sponsis* et *viduis*, neque pro iis qui divortium ex propria culpa fecerunt: seu hi, captantes delectationem sensualem, *venialiter* semper peccant.

164. — **De onanismo.** — Crimen, quod inter coniuges hodie late grassatur, est crimen *onanismi*; de hoc proinde seorsim in specie pertractandum est. — Nomine *onanismi* sensu lato accepti intelligitur impedimentum generationis de industria quaesitum cum seminis virilis frustratione. Pluribus modis fieri solet; sed frequentiores, iuxta Antonelli, sunt sequentes:

a) Copulam debite incipere, et postea se retrahere, et extra foeminae vaginam semen effundere;

b) Copulam debito modo complere in vagina, et postea per ablutiones vaginales semen receptum eiicere, aut illud vitalitate fecundante interimere, nonnullis specialibus lotionibus adhibitis;

c) Ante copulam in profundum vaginae, ad obturandum os colli uteri, fragmentum mollis spongiae, aut gossypium, aut filamenta linacea immittere; postea copulam agere cum seminatione in vagina, ac deinde corpus spongiae aut gossypii aut linaceum extrahere, et vas mundare per ablutiones convenientes;

d) Copulam exercere mediante *condom*, quod est quoddam involucrum satis subtile, membranaceum, quo involvitur membrum in coitu, quin sensibiliter minuatur voluptas copulae. Mediante hoc involucro, emissum semen remanet in involucro, et generatio evidenter frustratur;

e) In vaginam immittere alterum vas membranaceum, satis subtile ut *condom*, copulam agere, et emittere semen in hac pseudovagina, dein eam retrahere cum semine emisso [1].

165. — Causa praecipua *onanismi* inter coniuges est saepissime prolis numerositas, et simul familiae inopia. In-

[1] Cfr. t. II, n. 232.

terdum tamen fit ad evitanda incommoda gestationis, partus et educationis prolis, et simul ad explendam libidinem.

166. — Coniuges *onanismum* perpetrantes ex mutuo consensu, ambo *graviter* peccant: id enim non solum adversatur fini primario matrimonii, sed etiam bono fidei coniugalis, bono societatis humanae, et etiam coniugum valetudini[1]. Hinc coniux nequit ab altero debitum petere, quem novit esse *onanistam*. Ratio est, quia cooperaretur proxime gravi alterius peccato: nisi tamen gravis urgeat petendi causa, prout periculum incontinentiae, vel si alias privari deberet iure petendi debitum plus quam *semel* aut *bis* cum perpetuo scrupulo aut angustia, ne incommodum sat grave sit[2]. — Si *onanismus* patretur, ut saepe fit, a viro, uxor tenetur dissentire. At si frustra virum deterrere conata sit, et ex altera parte ei subeundum foret grave incommodum, puta indignationem viri, vel periculum incontinentiae, non peccat; et licite debitum *reddere*[3], et *petere* potest[4]. Ratio est, quia ex parte mulieris adest iusta causa cooperandi actioni, cuius tota malitia ex prava viri voluntate dependet.

En responsum s. Poenitentiariae in casu. — Quaesitum fuit: « Potestne pia uxor permittere ut maritus suus ad eam accedat postquam experientia ipsi constiterit eum more nefando Onan se gerere... praesertim si uxor, denegando, se exponat periculo saevitiarum, aut timeat ne maritus ad meretrices accedat? »

Respondit: « Cum in proposito casu mulier, e sua quidem parte, nihil contra naturam agat, detque operam rei licitae, tota autem actus inhordinatio ex viri malitia pro-

---

[1] Noldin, l. c., n. 73. — [2] Cfr. s. Alphonsum, l. VI, n. 947.

[3] S. Poenitentiaria, 1 febr. 1823; 8 iun. 1842. — [4] S. Alphonsus, l. VI, n. 947.

cedat, qui, loco consummandi, retrahit se et extra vas effundit; ideo si mulier, post debitas admonitiones, nihil proficiat, vir autem instet, minando verbera aut mortem, aut alias graves saevitias, poterit ipsa (ut probati theologi docent) citra peccatum passive se praebere, cum his rerum adiunctis ipsa viri sui peccatum simpliciter permittat, idque ex gravi causa, quae eam excuset, quoniam charitas, qua illud impedire tenetur, cum tanto incommodo non obligat »[1].

Praeter causas vero, quae a s. Poenitentiaria innuuntur, et quae valent mulierem in casu excusare, etiam aliae a doctoribus assignantur, quae certe grave incommodum (a quo caritas excusat) secumferunt, prout si, muliere renuente, maritus domi vel extra concubinae adhaesurus sit; vel si maritus secus in blasphemias, imprecationes, insectationes contra Deum, Ecclesiae ministros, ac Religionem prorumperet, praesertim si cum gravi liberorum scandalo; vel si maritus minetur divortium, aut mulieri diffamationem, et alia huiusmodi. — Insuper animadvertunt saevitiarum et molestiarum gravitatem non *absolute*, sed *relative* ad mulieris statum et conditionem civilem iudicandam esse. — Tandem monent non esse necesse ut mulier saevitias prius experiatur; sed satis esse, si illas rationabiliter timeat.

Verum quid dicendum si mulier in praefato casu *externe* quidem dissentiat, sed *intra* se de viri onanismo *gaudeat?*

R. — Inspiciendum est utrum mulier gaudeat de ipso actu onanismi, seu de impedita generatione, an vero gaudeat de effectibus, qui ex impedita generatione sequuntur, puta de remotione periculi et incommodi, quae conceptio, partus, et educatio prolis secumferunt. Si *primum*, mulier certe peccat *graviter*, quia consentit in actum per se gra-

[1] Die 23 aprilis 1822.

viter illicitum; si *alterum*, (quamvis ad contrarium faciendum suadenda sit, ne forte feratur ad consensum in *ipsum actum* onanismi), omni culpa vacat: licitum est enim gaudere de bono effectu, sive hic a causa bona, sive a mala procedat. In *dubio* utrum gaudium versetur circa actum onanismi, an vero circa eiusdem effectus, postremum tenendum est, si mulier sit timoratae conscientiae, et a Deo graviter offendendo abhorreat. — Sed ei non licet praefatos effectus, mediante viri onanismo obtinendos, *desiderare*, siquidem tale desiderium in ipsum actum onanismi *indirecte* fertur.

Praeterea mulier licite *gaudere* potest de voluptate venerea, quae copulam onanisticam concomitatur: nam cum in praefato casu copula ex parte ipsius sit licita, evadit ipsi licita etiam venerea delectatio, quae cum tali copula coniungitur: delectatio enim sumit suam bonitatem vel malitiam ab obiecto, ad quod refertur.

167. — Attamen si agatur de *onanismo*, qui fit per copulae abruptionem, quandoque licitus esse potest, puta si adsit periculum scandali, ex. gr. si filii qui in eodem cubiculo decumbunt, expergefacti coitum advertere possint; aut si ex improvviso persona extranea adventet, aut si alteruter coniux repentino morbo corripiatur, vel si coniux recordetur aliquid momentosum statim esse expediendum, etc.; item si sine periculo pollutionis (id quod ex experientia constare debet) coniuges ex mutuo consensu ante seminationem copulam abrumpant, nam in hoc casu incepta copula aequivalet tactui verendorum, qui inter coniuges, si iusta adsit causa, licitus est.

168. — *Onanismi consectaria.*

a) Mulier imperfectis seu innaturalibus actibus excitata, sed minime satiata, paullatim ad illicitas et adulterinas voluptates recurrit, praesertim quia noscens modum

impediendi generationem, facilius alios viros admittere potest, quin vir proprius id agnoscat. En igitur primum onanismi consectarium: *mulieris demoralizatio*, qua nil peius.

b) Pax et concordia dissolvuntur, non modo ob dictam demoralizationem, sed etiam quia, cum interdum, non obstante viri onanistae diligentia, semen ad ostium vaginae eiaculatum vaginam ac uterum, viro inscio, ingrediatur, atque proles concipiatur, exorientur in viro suspiciones de mulieris infidelitate; ex quo rixae, verbera, etc.: quae omnia renovabuntur ex praesentia prolis, quam vir illegitimam supponit.

c) Morborum et aerumnarum colluvies tandem aliquando coniuges, praesertim mulierem, invadet[1]: natura enim in suis iuribus admodum laesa, ea, interdum etiam morte mulieris, vindicare solet. Nec mirum, si consideretur totum nervorum systema atque organa genitalia in opere generationis vehementissime in utroque sexu excitari, adeo ut, si per naturalem et perfectam copulam non quiescant, maior accedat irritatio ac defatigatio, siquidem copula et semen a natura ordinantur non solum ad prolis generationem, sed etiam ad voluptatis aestum, maxime ex parte mulieris, temperandum, atque ad excessivam irrationem impediendam.

169. — *Quomodo confessario agendum sit cum poenitente onanista.*

a) Confessarius de praefatis malis poenitentem onanistam sedulo moneat, ut a tanto crimine deterreatur. Sed

---

[1] Inter varios morbos *ex onanismo* derivantes a physiologis recensentur praecipue: inflammationes in organis tum internis tum externis generationis, sanguinis congestiones, ulcera, nevrosis, cordis palpitationes, catharrus uterinus, sterilitas ac impotentia, etc. Mulier prae

praecipue in eius memoriam revocet Dei vindictam, qua etiam in hac vita *onanistae* percelluntur, prout factum est usque ab initio in *Onan*, sicut narrat Scriptura.

b) Si ratione numerosae prolis atque familiae inopiae poenitens onanismi crimen patret, confessarius erigat eius animum, ei suggerendo verba Augustini: « Deus qui non solum caelum et terram, sed nec exigui et contemptibilis animantis viscera, nec avis pennulam, nec herbae flosculum, nec arboris folium, sine suarum partium convenientia et quadam veluti pace dereliquit, quomodo alendis unquam corporibus hominum deesset? »[1] Verum confessarius subdat quoque, haec omnia promerenda esse, iustitiam sectando: Christus enim dixit: « *Quaerite primum regnum Dei, et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis* »[2]. Si tamen vere deficiant quae necessaria sunt ad victum, vestitum, ac habitationem pro prole numerosiore, coniuges ab actu coniugali abstinere debent.

c) Si autem crimen *onanismi* patretur eo quia medicus mulieri timorem iniecerit de periculo mortis, si alios filios concipiat vel pariat, cfr. quae dicta sunt sub n. 145. (?)

d) Si onanismus perpetretur ex timore ne mulier ex repetita praegnatione, partu, et prolis lactatione virium physicarum detrimentum ac personae deformitatem passura sit, obiiciatur hanc ideam, iuxta physiologos ac medicos, esse absolute falsam: constat enim ex experientia fecundationes et praegnationes potius organismum roborare, et mulieres, quae novies aut decies prolem in lucem ediderunt, relate ad mulieres steriles ac luxuriae ononasticae deditas, iuvenes

---

viro his morbis obnoxia evadit, praesertim morbis uteri, adeo ut a vero minime aberraverit qui affirmavit saeculum nostrum appellari posse *saeculum morborum uteri*.

[1] *De catechiz. rud.*, c. XVIII. — [2] MATTH., VI, 33.

apparere: sterilitas enim ac luxuria vires exhauriunt, atque organa exsiccant [1].

e) Quando agitur de coniugibus *onanistis* in *mala* vel *dubia fide* versantibus, monet Bouvier: « Sedulo inducendi sunt coniuges ad sancte vivendum in matrimonio, hortandique, prout prudentia sinet, vel ad recte utendum, vel ad abstinendum. Studeat uxor pro viribus maritum blanditiis, omnibus amoris indiciis, precibus, hortationibusque ad actum recte perficiendum vel ab eo prorsus abstinendum et christiane vivendum adducere: experientia constat plurimas mulieres, viros sic allicientes, eos lucratas fuisse » [2].

170. — Num coniuges, qui de *onanismi* peccato in tribunali poenitentiae silent, interrogandi sint, id pendere debet ex circumstantiis huiusmodi poenitentium: si enim nulla suspicio in poenitentem cadere possit, omnes docent interrogationes in casu omittendas esse; nisi forte fiant modo omnino prudenti, puta si confessarius interroget an illum conscientia remordeat circa matrimonii sanctitatem ac prolis procreationem; et siquidem poenitens neget, nihil aliud de hac re inquirere debet, ac potest. Si vero adsit fundata suspicio, et praesertim si ex confessione directe vel indirecte onanismi crimen colligatur, confessarius tenetur poenitentem interrogare, si sit in *mala* vel etiam in *dubia fide;* si vero iudicet eum versari in *bona fide*, num interrogandus vel monendus sit ut a tanto facinore deterreatur, non convenit inter theologos. Eschbach referens verba De Angelis (olim in Urbe s. Poenit. theologi) scribit: « si vel fundata suspicio, vel, quod maius est, ex verbis confitentium confessarius dignoscat haberi talia peccata, tunc tenetur gravi-

[1] Dr. Hufeland, *l'Art de prolonger la vie.* — [2] *Dissert. in sextum Decal. praec.*, pag. 182.

tatem sceleris demonstrare, ut eos inducat ad horrorem istius criminis. Neque probatur sententia illorum confessariorum, qui tenent eos posse relinqui in bona fide, namque habetur hic commune incommodum, et sumus in casu peccati contra naturam. Congregatio s. Poenit. de hac re consulta non admisit posse tales confitentes relinqui in bona fide » [1]. — E contrario D'Annibale ait: « At si coniuges haec faciant in bona fide, et periculosum sit eos edocere, non sunt admonendi » [2]. Atque ita sentiunt alii moderni theologi, inter quos Noldin, qui ait: « Si confessarius deprehendat poenitentem onanistam in bona fide esse, monitionem autem nullum habituram esse fructum, secundum regulam generalem de monendis iis, qui bona fide peccant, monitionem omittere, vel ita loqui potest, ut poenitentis bonam fidem non perturbet » [3]. Verum hae duae sententiae conciliari possunt, si dicas *priorem* sententiam supponere quod aliqua spes adsit emendationis: quo casu monitio certe facienda est; *alteram* vero supponere quod nulla emendatio e monitione sperari possit: quo casu monitio omittenda est: ad quid enim fit monitio, quae ex una parte non sit certo profutura, et ex altera sit certo ac maxime obfutura?

Et idem dicendum, si coniux sit quidem in *mala* vel *dubia fide* circa actus illiceitatem, sed versetur in bona fide circa actus ipsius *gravitatem*. Quare confessarius, si perspiciat monitionem non esse profuturam, abstineat a revelanda gravi actus malitia, ne coniux onanista e peccato gravi *materiali* transitum faciat ad peccatum grave *formale*. Si vero directe de gradu malitiae interrogetur, quamvis mentem suam aperire teneatur, tamen caute se gerat, nec nimis af-

---

[1] Cfr. l. c., pag. 578. — [2] Cfr. p. III, n. 469, adn. 9. — [3] Cfr. l. c. n. 76; Ballerini-Palmieri, t. VI, n. 247; Génicot, t. II, n. 551.

firmative aut absolute respondeat, ne bonam fidem adhuc superstitem auferat.

Poenitens iam *pluries recidivus* in crimen *onanismi* absolvi nequit, nisi exhibeat specialia indicia emendationis. Quod si iterum labatur, sine absolutione dimittendus est donec reipsa se emendaverit.

171. — **Relate ad actus internos.** — Coniugibus illiciti sunt omnes actus interni voluntatis, qui ad praefatas actiones externas referuntur. Quare de iis actionibus coniuges neque gaudere, neque eas desiderare possunt. Malitiae *species* ac *gravitas* eadem est ac ea quae iisdem actionibus inest, inspectis etiam subiecti ac obiecti circumstantiis addentibus novas malitiae species. — Quod attinet ad turpes *complacentias*, quas coniuges fovent cum persona extranea, cfr. quae dicta sunt de malitia adulterii sub n. 71. — Num vero eaedem complacentiae malitiam desumant *ex obiecti* circumstantiis, recole quae dixi sub n. 108.

ARTICULUS IV.

De iis, quae coniugibus sunt licita.

172. — **Relate ad actus externos.**

a) Licita est coniugibus copula carnalis: est enim medium ordinarium a natura ordinatum ad humanam generationem, atque ad concupiscentiam sedandam.

b) Licitae sunt coniugibus omnes actiones, quae ad copulam proxime habendam necessariae vel utiles sunt, aut quomodolibet praeparant atque disponunt, nempe: tactus, aspectus, sermones obscoeni, complacentia morosa, cogita-

tiones turpes, etc. Hinc etiam de uxore docet s. Alphonsus: « Omnes concedunt uxoribus, quae frigidioris sunt naturae posse tactibus se excitare ante copulam, ut seminent in congressu maritali statim habendo »[1]. Atque idem dicendum est de viris, qui magna excitatione indigent ut copulentur. Praefati actus praeparatorii liciti sunt, quamvis pollutio *per accidens* et *praeter intentionem* aliquando copulam praeveniret[2].

Num vero liciti sint etiam actus *obscoenissimi*, puta immissio membri virilis in os aut in vas praeposterum mulieris, introductio linguae aut osculum in verendis, et similia, sunt qui absolute negant, imo, ut ait Berardi, clamant ad *indecentiam horrendam, nefandam, turpissimam*. Verum obiicit Ballerini, ubinam erit reperire decentiam in negotiis huiusce generis? Cum igitur agatur hic de sola quaestione decentiae, recte animadvertit Noldin quod « inter coniugatos nulla est nec fingi potest actio, quae ob solam foeditatem adeo sit intrinsecus mala, ut nunquam licita fieri possit. Ideo, subdit, non desunt auctores (*Sanchez, Filliuci, Sporer, Ballerini, Berardi*, etc.), qui censent illos actus ex communi regula de liceitate actuum imperfectorum eximendos non esse »[3]. Itaque si coniuges se ad copulam praeparent etiam per praefatos turpissimos actus, saltem *graviter* non peccant. Si vero huiusmodi actus ad talem finem sint *absolute* necessarii, quia coniuges nonnisi per eos se ad coitum excitare valent, *nullimode* peccant.

Actus tamen qui ex una parte non sunt stricte necessarii ad copulam habendam, et ex altera fiunt ad delectationem protrahendam, *veniali* non carent; et si coniuncti sint cum proximo pollutionis periculo, peccatum *grave* constituunt.

---

[1] L. c., n. 919. — [2] S. Alphonsus, l. c., n. 934. — [3] L. c., n. 94.

Denique animadvertendum est quod si ex experientia constet actus ad copulam praeparatorios fere semper esse causam pollutionis, et hanc sequi antequam copula habeatur, iidem actus sint *graviter* illiciti, ideoque praetermittendi. — Insuper coniux, praesertim uxor, si noverit ex experientia compartem actus praeparatorios quidem praemittere, sed ad copulam fere nunquam devenire, eos respuere debet, vel efficere ut copula subsequatur.

c) Coniugibus licitae sunt omnes actiones per se indifferentes, nempe tactus, oscula, amplexus, aspectus, etc., quae exerceantur ad mutuum amorem fovendum vel instaurandum, ad avertendam suspicionem infidelitatis, ad melancholiam pellendam, ad removendum periculum separationis, etc., etsi subsequatur venerea delectatio, pollutio aut distillatio: hae enim sequerentur *indirecte* ex causa iuste posita; dummodo, dicunt theologi, coniuges in eas non consentiant. Verum recole quae dixi de *consensu* circa delectationem veneream, pollutionem, et distillationem *involuntarias*, sub n. 111, II.

d) Tandem coniugibus licitae sunt omnes actiones, ut ita dicam, *extra-coniugales*, quae in quibusdam casibus et ex iusta causa licite peragi possunt etiam a *solutis*, prout legere tractatus inhonestos, turpia tangere vel aspicere etc.

173. — **Relate ad actus internos.**

Quae coniuges licite *externe* peragere possunt aut potuerunt, ea etiam desiderare, vel de iis gaudere, aut sibi complacere licite queunt; dummodo tales actus *internos* ordinent ad aliquem finem rationabilem, puta ad proximam copulam habendam, vel ad mutuum amorem fovendum, aut conservandum, aut instaurandum, vel ad tristitiam pellendam; secus ob *otiosam* occupationem *venialiter* peccant; et, si subsit periculum proximum delectationis venereae, pec-

cant etiam *mortaliter* (cfr. n. 169). Si vero coniuges praefatos actus *internos* ad aliquem finem rationabilem ponant ac ordinent, non peccant, etsi subsit periculum delectationis venereae et pollutionis: cum enim dicti actus hoc in casu *licite* ponantur, eae tantum *indirectae* ac *permissivae* forent. — In *praxi* aliquis finis rationabilis dictos actus ponendi non deerit: saltem aderit finis conservandi mutuum amorem: coniuges enim, qui sese odio prosequuntur, desideria, complacentias et gaudia de actibus coniugalibus habendis vel habitis difficulter concipere valent. Si autem verum est quod docet d. Kölliker (cfr. n. 1, pag. 5), tunc ex parte *viri* semper haberetur etiam alius rationabilis finis praefatos actus *internos* ponendi.

174. — **Quaestio.** — *Quaeritur num liceat coniugibus, ut se excitent ad copulam, aut in actu copulae, obiecta turpia aut alienam personam sibi in mente repraesentare, vel aspicere?*

R. — 1.° Licitum est coniugibus, seclusa prava complacentia, se excitare ad copulam, mediante aspectu, imaginatione, ac delectatione cuiuslibet obiecti turpis, et etiam personae sive imaginariae, sive etiam realiter exsistentis. Ratio est, quia tales aspectus vel imaginationes sunt in se indifferentes, ideoque assumi possunt ad assequendum finem licitum, qualis est copula maritalis. Quare non peccat Titius, qui, ut se excitet ad copulam cum sua uxore, foemina deformi, aspicit Caiam, foeminam pulcherrimam, vel statuam Veneris, quam forte domi habeat, etc. — Dixi tamen: *seclusa prava complacentia:* si enim puta Titius dum cogitat de Caia, de hac morose sibi complaceat imaginando copulam habere cum ipsa, tunc peccaret, et quidem peccato adulterii *affectivi*. Et siquidem vero obiectum cogitatum, quocum complacentiam habet, sit vel persona eiusdem sexus,

vel persona demortua, vel statua, peccaret peccato *affectivo* vel sodomiae, vel necrophiliae, etc.

2.º An licitum sit coniugibus personam alienam, etc. sibi in mente repraesentare *in actu copulae*, distinguendum est: seu si in actu copulae puta Titius intendat coire cum aliena persona, etc., tunc agitur de vera prava complacentia, proinde peccaret, prout dixi nuper sub fine num. superioris; si autem Titius intendat quidem coire cum sua uxore, eam tamen sibi repraesentet sub forma et specie foeminae alienae, licite agit, quemadmodum licite ageret, si suam uxorem sibi repraesentaret sub forma et specie foeminae demortuae, aut Veneris, etc. Verum in praxi res periculo non caret, ne scilicet a *forma* personae alienae ad *personam* ipsam transitus fiat. — Nunquam vero licet assumere ad praefatum finem *imagines sacras:* quod, attenta gravi irreverentia, *mortale* communiter censetur.

APPENDIX

PRAXIS
A CONFESSARIO SERVANDA
CIRCA PECCATA CONTRA CASTITATEM.

175. — *Generatim* loquendo, confessarius *valde cautus* et *prudens* esse debet in suis interrogationibus vel responsionibus circa peccata contra castitatem, adeo ut omnes uno ore conclament melius esse, praesertim in dubio an interrogatio fieri possit vel debeat, ut desit confessionis integritas, quam ut gravis irreverentia sacramento inferatur, ac poenitentibus, sibique scandalum praebeatur. Verum cum non idem periculum timendum sit quoad omnes poenitentes indiscriminatim, praestat eos in quasdam classes distribuere.

176. — **Relate ad impuberes.** — Impuberes (quemadmodum etiam *rudes*) ordinarie ignorant peccatum consistere in actibus *elicitis* voluntatis : seu vel in *desiderio*, vel in *complacentia*, vel in *gaudio* ; et tunc solum putant se peccatum commisisse, cum illud externe patraverint. — Etsi vero moneantur circa praefatos *internos* voluntatis actus

difficulter eos intelligere valent, aut saltem in actu practico inter desiderium, complacentiam, et gaudium aegre distinctionem facere sciunt. Hinc est quod in tribunali poenitentiae de peccatis internis nunquam se accusant; et stante ignorantia ac bona fide, minime peccant. Ceterum desideria et complacentiae impuberum in materia luxuriae rara admodum esse possunt: nam ex una parte impuberum mens infantilibus iocis ac divagationibus perpetuo occupatur; et ex altera in ea aetate instinctus sexualis ab iis minime persentitur; nisi tamen malitia aetatem suppleat.

Quod attinet vero ad peccata *externa* sive contra *castitatem*, sive contra *pudicitiam*, quomodo se gerere debeat confessarius, hae regulae statui possunt:

a) Si tales poenitentes de hisce peccatis omnino sileant, tamen habeatur fundata suspicio eos illa perpetrasse, interrogari possunt, sed modo valde prudenti, ne scilicet forte addiscant, quod fortasse adhuc ignorant. Praestat ab initio facere interrogationes valde indeterminatas, et tales, quae a poenitente facile intelligi possint etiam de peccatis alius generis: puta an se adiunxerit malis sociis, an cum his aliquid mali fecerit; num cum fratribus et sororibus simul dormiat, et an cum ipsis rixatus fuerit, aut eos percusserit, aut quid peius egerit, etc. Ex tenore responsionum confessarius apprehendet vel suspicabitur utrum poenitens actus luxuriosos aut impudicos exercuerit; an minus.

b) Si vero tales poenitentes de praefatis peccatis se accusant, ante omnia confessarius nitatur bene intelligere *de quo agatur*: saepe enim accidit ut huiusmodi poenitentes utantur expressionibus, quae prima fronte videntur referri ad materiam luxuriae, dum reipsa alius generis peccata respiciunt, puta si poenitens dicat: *feci res malas cum sociis*: quae verba intelligi possunt ex. gr. etiam de furtulis simul perpetratis, vel de levibus actibus immodestiae

aut inurbanitatis. Ideo si poenitentis expressio clara non sit, praestat illum monere ut aliis verbis peccatum manifestet. Neque confessarius praeeat interrogationibus imprudentibus ; sed curet omnia addiscere ex confessione ipsius poenitentis. Hinc imprudenter ageret confessarius, qui in casu superius allato statim interrogaret : *tetigistisne te circa verenda* ? vel : *simulne concubuisti* ? — Si poenitens clare se accuset de peccato luxuriae, caveat confessarius ne a poenitente petat an actum consummatum, scilicet cum *distillatione*, perfecerit, ne, si forte contrarium sit, addiscat quod ignorat, et ex curiositate moveatur ad actum iterandum. Ceterum sunt qui animadvertunt posse impuberes interdum malitiam pollutionis, in principio pravae consuetudinis, invincibiliter ignorare ; proinde eo maior cautela confessario adhibenda est.

c) Quae superius sub num. 181 innui de prudentia interrogationum, et etiam de harum omissione, valent praesertim relate ad impuberes. Attamen haec dicta sint quoad eos, quos confessarius novit *pios* ac *bene moratos* esse. Si vero parum bene morati ac pii appareant, interrogationes faciendae sunt, praesertim si tales poenitentes iam proximi sint pubertati, et maxime si ad eam iam pervenerint. Eo magis interrogationes fieri debent, ne forte huiusmodi adolescentes vitio luxuriae assuescant, putantes fortasse bona fide nihil mali se patrare. « Occurrunt enim non raro, animadvertit Génicot, iuvenes, qui non percipiunt quid mali habeatur in voluptate illa venerea, cuius nexum cum generatione prorsus ignorant : qui propterea quandoque eam bona fide admittunt vel procurant... Confessarium melius agere non posse opinamur, quam ut tales adolescentes doceat officia sua eo tempore, quod ipse naturae Auctor indicare videtur, ubi nempe pubertatem adeptus iuvenis interdum in pollutione nocturna veneream voluptatem noscit

ideoque et scire debet quomodo erga illam se habere debeat »[1].

177. — **Relate ad adultos.** — Hae regulae prae oculis habeantur.

1.° *Quoad eos, qui de peccatis contra castitatem minime se accusant.*

a) Si agatur de personis institutis, de Religiosis, de Sacerdotibus, et de iis qui in aliqua dignitate constituti sunt, interrogationes circa talia peccata sunt omittendae; nisi forte multa peccata aliorum generum accusaverint, aut a diuturno tempore confessi non sint: quibus in casibus, cum habeatur fundata suspicio ne actibus saltem internis contra castitatem peccaverint, aliqua interrogatio modo generali facienda est, puta: *num eos conscientia remordeat circa ea quae castitatem et pudicitiam respiciunt.* Id tamen in peculiaribus casibus prudenti confessarii iudicio remittitur, adeo ut confessarius, si praevideat poenitentem de tali interrogatione offensum iri, eam omittere teneatur.

b) Quod attinet ad eos, qui adhuc sunt iuvenes, etsi sint instituti, clerici vel Religiosi, etc., *ordinarie*, saltem aliquando, interrogationes in materia luxuriae fieri debent: at semper prudenter, ac modo generali, prout supra. Et quatenus *affirmative* respondeant, inducendi sunt ad declarandum *de quo agatur*. Sed si confessarius advertat eos verecundia detineri, potest et debet, sed modestiore modo, eos interrogare. Quare male ageret confessarius, qui nunquam de peccatis carnalibus poenitentes interrogaret: certum est enim plures prae verecundia talia peccata in confessione reticere; et nisi confessarius eorum conscientiam perscrutetur, eisque animum addat, ea nunquam fortasse in po-

[1] Cfr. Cas. vol. I, *De sexto*, c. II.

sterum, ob adauctam verecundiam et confusionem, revelabunt.

2.° *Quoad eos, qui de praefatis peccatis se accusant.*

a) Qui peccata luxuriae secundum speciem infimam et numerum diligenter declarant, *ordinarie* non sunt interrogandi an alius etiam generis peccata luxuriae patraverint, vel idem pluries: quando enim poenitens exacte et diligenter se accusat, non est praesumendum quod aliquid celare velit.

b) Si poenitens tantum *in genere* de talibus peccatis se accuset, confessarius eum interrogare debet, ad cognoscendam scilicet speciem infimam, numerum, et etiam circumstantias, quae superaddant novas *gravis* malitiae species, occasionem peccandi, etc.; verum haec omnia praestare debet modo prudenti, et adhibitis verbis modestis, adeo ut, si in promptu non habeat, nisi expressiones *vulgares*, vel eiusmodi, quae evidenter adhiberi non possunt, salva reverentia sacramento debita, interrogationes omittere non solum possit, sed etiam teneatur. Hinc etiam omittere debet interrogationes circa *modum*, quo patratum est peccatum, quando inter theologos non convenit de differentia *specifica* circa varios modos, quibus peccatum luxuriae patrari potest, puta utrum poenitens pollutionem in seipso provocaverit manu, an adhibito instrumento inanimato: item qua parte genitalium mulier se tetigerit, aut qua corporis parte sodomia perpetrata fuerit, etc.: quae praxis a theologis communiter reprobatur, imo ut pessima ac penitus abominabilis censetur. — Meminerit etiam confessarius poenitentes aliquando fastidire confessarios nimis de hac re perscrutantes; ideo omnem a se removeat affectatam curiositatem; imo rem agat cum quadam indifferentia, et relativa sollicitudine.

c) Quoties poenitens *modo dubitativo* se accusat de peccatis *internis* contra castitatem, confessarius potest iu-

dicare eum non peccasse, si sit persona pia, et non soleat *externe* contra castitatem delinquere: seu in hoc casu supponere potest poenitentem potius naturalis instinctus impulsus expertum fuisse, quam desideria et complacentias habuisse. — Contrarium foret dicendum, si poenitens non sit timoratae conscientiae, et peccata luxuriae *externe* patrare soleat.

d) Si poenitens confiteatur aliquam ex iis actionibus, quae ad *manusturbationem* vel *fornicationem* reducuntur, difficultas esse non poterit ex parte confessarii ad dignoscendum peccatum *obiectivum*. Si poenitens de tactibus impudicis se accuset (quod passim solet exprimi per sola verba: *me tetigi*), et siquidem constet de eorum formali malitia, non est interrogandus an actum ad suum finem perduxerit: id enim praesumi potest praesumptione, quae est ex communiter contingentibus[1]. Attamen confessarius inquirere debet num forte poenitens peccare potuerit tantum *venialiter* ob imperfectionem actus, puta si in statu semivigiliae se polluerit. — Sed si agatur de actionibus, quae solum *per accidens* influunt in delectationem veneream et pollutionem, confessarius non debet statim poenitentem incusare de peccato *gravi*, nam cum tales actiones in subiecto, attenta varia huius dispositione, influere possint tum *graviter*, tum etiam *leviter* aut *nulliter*, potest esse quod leve vel nullum peccatum relate ad illum poenitentem constituant. Itaque in hisce casibus interrogationes faciendae sunt. Attamen in omni casu confessario inquirendum est num poenitens occasione pravi aspectus, tactus, lectionis, etc. aliquam actionem inhonestam patrare desideraverit, aut de ea sibi complacuerit: consensus enim internus voluntatis cum

---

[1] Cfr. Berardi, Pr. n. 881; Frassinetti, *Comp. della Teol. Mor.*, pag. 533, etc.

absentia vel defectu sensus venerei, atque motuum carnalium conciliari potest. — Qui confitentur tactus impuros, interrogandi sunt utrum ex necessitate, puta ad satisfaciendum necessitatibus corporalibus aut ad abstergendas corporis maculas, etc. peregerint; an vero ad finem captandi voluptatem, aut simul ad utrumque, seu an occasione mundandi corpus tactus non necessarios peregerint.

Ad melius vero dignoscendas poenitentis dispositiones, et ad aptiora remedia ei praebenda, confessarius curet ut a poenitente dignoscat ex quo tempore luxuriae vitio sit infectus, quomodo illud didicerit, et quoties illud perpetraverit. Sedulo imprimis perscrutetur num poenitens aliquo morbo *physico psychico*, aut mala corporis affectione laboret: aliquando enim, ait Antonelli, vitium luxuriae non a prava voluntate ortum ducit, sed ex quadam morbosa corporis dispositione: quo in casu simplex medicina spiritualis, absque miraculo aut speciali divina gratia, parum aut nihil confert; quare confessarius nihil melius aget, quam suadere poenitenti ut pro opportuno remedio ad medicum recurrat[1].

e) Cum foeminis iunioribus, parum seriis et effrontibus, caute confessario procedendum est, quamvis ipsae eum interrogent, nam non est casus infrequens, ut huiusmodi foeminae vel peccata turpia effingant, quae non patraverunt, aut interrogationes inutiles iniiciant ad confessarium pertrahendum in laqueum, aut saltem ad addiscenda ea, quae paullo post in conversationibus, in viis, plateisque erunt propalaturae. — Interdum dantur mulieres, quae, ut excitent in seipsis delectationem veneream, se scrupulosas esse fingunt, ut facilius immorari possint circa sermones turpes cum confessario instituendos. Si de hoc fundata suspicio

---

[1] Cfr. l. c., t. II, n. 163.

habeatur, Bucceroni haec suadet: *a*) vitare nimiam confessionum frequentiam talium mulierum; *b*) abstinere ab omni interrogatione, quae non sit absolute necessaria; *c*) poenitentem docere quomodo brevissima et honesta formula possit confessionem instituere; neque permittere, ut ab ea recedat; *d*) abstinere ab omni animadversione et observatione, quae non sit absolute necessaria, sed confessionem quam paucis et serio omnino absolvere. Si haec observentur, subdit cit. auctor, nullum timendum erit incommodum, quia si tales mulieres ficte procedunt, post unam vel aliam vicem non amplius revertèntur[1].

Imprimis vero confessarius cavere debet ab iis, qui *hysteria* vel *paranoia religiosa* affecti sunt, praesertim si agatur de mulieribus innuptis. Constat enim ab infelicibus istis satisfactionem libidinis obtineri non solum manusturbatione, sed etiam flagellationibus, laesionibus, mediis insolitis ac barbaris, maxime vero fanatismo religioso erga sanctorum simulacra, atque *erga confessarios*. Talis mysteriosa copulatio religiositatis et sexualis deliramenti magnum periculum secumfert. Et si agatur de mulieribus, periculum maximum ex parte confessarii consistit in hoc, quod ab hisce mulieribus facile sollicitari possit ad turpia, ac de nefandissimis etiam culpis accusari, si earum desideriis non cedat. Quare confessarius maxima utatur vigilantia, cautela, et prudentia, si velit suam famam integram servare; ne nimis faciles eorum sermonibus praebeat aures; curet ne tempus periculose vel ad minus inutiliter terat. Optimum vero est consilium hos infelices ad catholicum medicum sollicite remittere: cura enim talium morborum ad confessarium nullimode spectat[2].

---

[1] Cfr. l. c., n. 236. — [2] Cfr. Antonelli, l. c., n. 565; Gemelli, l. c. pag. 59.

178. — **Relate ad coniugatos.** — Quae superius dicta unt relate ad poenitentes *adultos*, etiam coniugatis applicari possunt. Quod attinet *in specie* ad debitum coniugale, monet s. Alphonsus: « Confessarius *non tenetur*, ordinarie oquendo, *nec decet* interrogare (quatenus nempe necesse it) nisi uxores, an illud reddiderint, modestiore modo quo possit, puta, an fuerint obedientes viris in omnibus. De aliis aceat, nisi interrogatus fuerit »[1]. — Quoties vero coniuges pro conscientiae tranquillitate instrui volunt circa liceitatem, vel minus, determinati actus, confessarius breviter quidem ac modestioribus verbis, sed absque ambagibus et r eticentiis veritatem aperire debet. — Si forte habeatur fundata suspicio ne coniuges *onanismi* crimen perpetrent, cfr. quae dicta sunt sub n. 163.

Si *nuptura* confessarium interroget quomodo in vita coniugali se gerere debeat, praesertim quoad debitum coniugale, passim theologi suggerunt ipsam monere ut de his marem interroget, vel ut interim marito in dubiis obtemperet, confessarium postea, si ei acciderint, consultura[2].

179. — Quoad *omnes poenitentes* prae oculis habeantur quae monet Berardi: « Quantum oportet ut pollutio *directe* ntenta severissime interdicatur, tantumdem necessarium est ut quoad pollutionem et delectationem veneream *indirecte* x citatam seu obortam mitius procedatur: secus enim cum ex pluribus actionibus necessariis, utilibus, honestis, aut ev iter inhonestis, motus carnales aut pollutiones oriri possint, lex divina nimis dura, et via salutis nimis impervia evadere t; imo maioribus inordinationibus viam aperiret »[3].

---

[1] Cfr. *Hom. Apost.*, tract. ult., n. 27. — [2] Circa regulas superius traditas, alia videri possunt in Parte altera et tertia *Theologiae Pastoralis*, ubi innuuntur varia media ad *impedienda sacrilegia*.

[3] Cfr. Pr., n. 886.

INDEX

RERUM NOTABILIUM

QUAE IN HOC OPERE CONTINENTUR

Notiones physiologicae praeviae tractatui.

De organis et elementis essentialibus generationi humanae. *Pag.* 2
Organa et elementa ex parte maris . . . . . ib.
Organa et elementa ex parte foeminae 5
De hermaphroditis 9
De distillatione 10
De pollutionibus 12
De menstruis . . . . . ib.
De sexuali instinctu. 14
De causis, quae sexualem instinctum adaugent 17
De perversione et inversione sexuali. . . . . ib.
De causis, quae sexualem instinctum imminuunt 19
De amore 20
De motibus carnalibus. 21
De delectatione *venerea*, *sensuali*, *sensibili*, et *intellectuali* . . 23
De modo, quo generatio perficitur 26
De superfoecundatione. 30
De praegnatione . . . . . ib.
De puerperio 34
De tempore lactationis. 35
Quando generatio impediri dicatur 36
De impotentia. . . . . ib.
De sterilitate 39
De mulieribus *excisis*, de eunuchis, et de impuberibus 41

De foecundatione artificiali . . . . . *Pag.* 43
De operatione *caesarea* 48
De operatione *porrensi.* 52
De symphiseotomia 54
De embryotomia . . . . . ib.
De abortu obstetrico 57
De partus acceleratione 59

De peccatis externis contra castitatem.

De malitia peccati contra castitatem. 61
De causis, quae *directe* et *per se* delectationem venereum, pollutionem, distillationem excitare valent. 62
De malitia venereae delectationis, pollutionis, et distillationis *directe* quaesitae . . . . . ib.
De manusturbatione, eiusque malitia. 66
Ad *speciem* manusturbationis reducuntur:
— Copula cum cadavere 71
— Copula cum statua 73
— Bestialitas . . . . . ib.
— Sodomia 74
— Irrumatio 76
De fornicatione, eiusque malitia 77
Ad fornicationem *qualificatam* reducuntur:
— Stuprum 81
— Adulterium 83
— Incestus 88
— Raptus 89
— Sacrilegium 90
De causis, quae *indirecte* et *per accidens* delectationem venereum, pollutionem, distillationem excitare valent 95
De turpi verendorum commotione, et de delectatione venerea, pollutione, distillatione *sponte obortis* 101
De osculis 107
De tactibus. 108
De aspectibus 110
De cogitationibus impuris. 112
De osculis, tactibus, etc. inter *impuberes* . . . . . ib.
De osculis, tactibus, etc. circa *statuas* vel *cadavera* 113

De iis, qui tractatus obscoenos componunt, vel obscoena canunt aut legunt, etc. . . . . *Pag.* 114
De teneris colloquiis, et amore *platonico* 115
De *academiis* picturae vel sculpturae 116
Quomodo peccet, qui in proprio corpore alienos tactus, oscula, amplexus, aspectus, etc. non impedit 118
An tactus (item oscula et amplexus) inter se *specie* differant. . 120

De peccatis internis contra castitatem.

De desiderio 123
De gaudio 125
De complacentia . . . . . ib.
De praefatis tribus actibus:
— quoad actiones inhonestas externas 127
— quoad delectationem veneream, pollutionem, distillationem 128
— quoad effectus pollutionis 131
— quoad delectationem sensualem, sensibilem et intellectualem ib.
An licitum sit *sponsis* desiderare, vel sibi complacere de copula futura 133
An liceat *viduis* gaudere, vel sibi complacere de copula praeterita ib.
Quomodo peccent hermaphroditae, eunuchi, et ii qui vasectomiam passi sunt 134

De usu matrimonii.

De copulae liceitate 137
Quando copula licita dicenda sit:
— in suo exercitio 138
— ratione finis 143
— ratione circumstantiarum 144
Quaestiones speciales:
— An uxor licite possit per manusturbationem se excitare ad seminationem, seu distillationem, si vir iam seminaverit, et a copula se retraxerit? 147
— An e converso vir, si mulier ante eius seminationem a copula se retrahat, actum coniugalem incoeptum, manusturbatione licite complere possit? 149
— An peccet vir, si, iam peracta seminis eiaculatione, se retrahat, non expectata seminatione, seu distillatione mulieris? . 150

— An peccet vir, qui se retrahit a copula, quando uxor iam seminationem, seu distillationem passa est, aut in huius probabili periculo versatur? . . . . . *Pag.* 151

— An peccet mulier, si seminationem, seu distillationem cohibeat vel impediat, cum vir iam seminaverit, ac a copula se retraxerit? . . . . . ib.

— An peccent coniuges, qui copulam ea intentione exercent, ut ante seminationem eam abrumpant? 152

De copulae obligatione 153

An et quando copula denegari possit:

— ratione adulterii 156

— ratione affinitatis 157

— ratione damni 160

— ratione periculi mortis 162

— ratione amentiae vel ebrietatis 163

— ratione immoderatae petitionis 164

— ratione intentionis ingrediendi in Religionem. . . . . ib.

— ratione inopiae ac numerosae prolis 165

— ratione copulae illicitae. 166

— ratione voti simplicis castitatis . . . . . ib.

— ratione gravium iniuriarum 168

De iis, quae coniugibus sunt illicita:

— relate ad actus externos 170

— relate (*in specie*) ad onanismum 173

— relate ad actus internos 181

De iis, quae coniugibus sunt licita:

— relate ad actus externos . . . . . ib.

— relate ad actus internos. 183

Num liceat coniugibus, ut se excitent ad copulam, aut in actu copulae, obiecta turpia, aut alienam personam sibi in mente repraesentare, vel aspicere 184

Appendix.

Praxis a confessario servanda circa peccata contra castitatem:

— relate ad impuberes 186

— relate ad adultos 189

— relate ad coniugatos 194

INDEX GENERALIS ALPHABETICUS

A

Abortus: *involuntarius* quam frequenter accidat, Num. 22. — causae multiplices ib. — *voluntarius* ib. — causae ib. — quid confessario agendum cum foeminis, quae ex fornicatione conceperunt 22, in adnot. — abortus *obstetricus:* quid, et an licitus 46.

Adulterium: quid, et quale peccatum 68. — an sit simplex fornicatio, si alter coniux in ipsum consentiat 69. — quomodo dignosci possit adulterium proprie dictum 70. — an illicitae coniugum complacentiae rationem habeant adulterii 71. — num sit adulterium commercium carnale inter solutum et desponsatam, et viceversa 72. — an et quando ratione adulterii debitum coniugale denegari possit 142, et seqq.

Affinitas: an oriatur ex *foecundatione artificiali* 37. — superveniens matrimonio an det ius denegandi debitum coniugale 145.

Amor: quid 12. — *phisiologicus* ib. — causae ib. — an seiungi possit ab instinctu sexuali ib. — *platonicus* 97. — *lesbicus* vel *sapphicus* 9, II.

Amplexus: v. *Tactus.*

Anaphrodisia: quid 11.

Anima *rationalis*: quando corpori infundatur 19, *c*).

Aspectus: circa partes turpes 89. — circa partes minus honestas ib. — circa concubitum humanum vel coitum animalium ib. — quomodo peccet qui aspectus inhonestos circa proprium corpus non impedit 100. — quid dicendum de matribus et nutricibus, quae in publico infantes, pectore detecto, lactant ib. — an aspectus *specie* differant inter se 102.

B

Blenorrhagia: quid 4, II.

Bestialitas: quid sit et quale peccatum 58, III. — relate ad coniuges an rationem habeat adulterii 142.

C

Cantus *obscoeni:* quodnam peccatum 95.

Centra *nervea:* quid 7 — eorum officium ib.

Clitoris: quid 2, V.

Cogitationes *impurae:* quid, et quale peccatum 90. — an eas admittere liceat ratione utilis studii ib.

Colloquia *tenera:* inter personas diversi sexus quodnam peccatum 96.

Complacentia *impura:* quodnam peccatum 108 et seq. — an detur complacentia de actibus inhonestis *alienis* 112. — relate ad coniuges an rationem habeat adulterii 71.

Concubinatus: quid 64.

Concubitus: quid importet 58, IV, in adnot. 2.

Coniuges: quae eis illicita sint 162 et seqq. — quae licita 172 et seqq. — an, ut se ad copulam excitent, aut in actu copulae obiecta turpia etc. sibi in mente repraesentare vel aspicere licite possint 174.

Copula *carnalis:* perfecta 18. — imperfecta ib. — quaenam aptior ad generationem ib. — quo situ peragenda 19, *a*). — quid importet marem et foeminam fieri *unam carnem* ib., *b*). — copula cum cadavere 58, I. — cum statua ib., II. — cum belua ib., III. — cum daemone ib. — an qui copulam fornicariam incoepit, ab ea desistere possit ac teneatur 63.

— *coniugalis:* requisita ut licita sit in suo exercitio 120. — ratione circumstantiarum 127. — an licite peragi possit quacumque hora 129. — an licite exerceatur tempore, quo prolis procreatio est difficilis vel impossibilis 130. — an licite peragatur tempore puerperii vel lactationis 23-24. — an ante seminationem licite abrumpi possit 136, 167. — quomodo et quando obligatoria 137 et seqq. — an et quando ab alterutro coniuge denegari possit: v. *Debitum coniugale.*

D

Debitum *coniugale*: an, quomodo, et quando reddendum 137, et seqq. — an denegari possit *ratione*: adulterii 142. — supervenientis affinitatis 145. — damni 148. — periculi mortis 151. — amentiae vel ebrietatis 152. — immoderatae petitionis 153. — intentionis ingrediendi in religionem 154. — inopiae ac numerosae prolis 155. — copulae illicitae 156 — voti simplicis castitatis 157. — gravium iniuriarum 158. — an coniux actus incompletos alterius coniugis independenter a copula admittere teneatur 159. — an mulier quae seipsam sterilem effecit, debitum petere ac reddere possit 160. — quomodo peccet coniux copulam indebitam per vim extorquens 161.

Delectatio: venerea 16, I. — sensualis ib., II. — sensibilis ib., III. — intellectualis ib., IV. — an et quale peccatum constituat delectatio venerea directe quaesita 52, I. — item sensualis, sensibilis, intellectualis ib., III, et 111, IV. — quomodo peccet qui ponit causas, quae in delectationem veneream excitandam influere valeant 79-84. — an liceat de delectatione venerea indirecte vel sponte suborta gaudere 111, II.

Denudatio *corporis*: relate ad mulieres quodnam peccatum 98. — an mulieribus liceat se pro exemplaribus nudas exponere in academiis picturae vel sculpturae 99.

Desiderium *impurum*: efficax 105. — inefficax ib. — malitia 106. — an liceat desiderare pollutionem ac delectationem veneream indirecte vel sponte subortam 111, II. — an licitum sit desiderare pollutionis effectus ib., III. — quid agendum in dubio utrum habitus fuerit actus desiderii, an impulsus instinctivus 112. — desiderium circa actiones inhonestas alienas ib.

Distillatio: quid 1, I. — ex parte maris 4, I. — ex parte foeminae ib., II. — eius causae ib. — an necessaria ad foecundationem ib. — voluntaria an mortale peccatum constituat 52, II. — an liceat de ea sponte oborta gaudere 111, II.

E

Embryotomia: quid, et an licita 45.

Eunuchi: an impotentia laborent ad generandum 31. — num paullo

post amborum testiculorum excisionem matrimonium valide inire valeant 32. — quomodo peccare possint contra castitatem 115.

Exhibitionismus: quid 9, I.

F

Febris, quae *a lacte* dicitur 2, VI. — quando incipiat ac desinat ib.

Feticismus: quid 9, I.

Fluores albi: in foeminis: v. *Leucorrhea.*

Foecundatio: ovuli muliebris ubi accidat 19. — an sit instantanea ib. — *artificialis*: quid, et quomodo perficiatur 33. — an licita 34-35. — quando est illicita quotuplex sit peccatum 36. — an ex ipsa oriatur *imped. affinitatis* 37.

Foetus: ubi ordinarie evolvatur 21. — eius positio naturalis ib. — multiplex ib. — immaturus 22. — quomodo originetur eius delineatio ib., *c*).

Fornicatio: quid 60. — quodnam peccatum 61-62. — an aliquando licita 62. — num qui actum fornicarium incoepit, ab eo desistere possit ac teneatur 63. — an *specie* differat a concubinatu et a meretricio 64.

G

Gaudium: de actibus inhonestis quale peccatum 107. — circa pollutionem directe aut indirecte quaesitam 111, I. — sponte obortam ib., II. — de effectibus pollutionis ib., III. — de delectatione sensuali, sensibili et intellectuali ib., IV.

Generatio *humana*: quomodo perficiatur 17. — an adsint anni tempora, quibus evadat impossibilis 20. — quando impediri dicatur 26.

H

Hermaphroditae: quinam 3. — perfecti et imperfecti ib. — apparentes ib. — quid agendum si accidat casus hermaphroditismi ib. — quomodo peccare possint contra castitatem 115.

Hymen: quid 2, IV. — an eius praesentia sit semper indicium virginitatis ib.

I

Impotentia: quando habeatur 28. — perpetua 29. — temporanea ib. — quoad mulieres excisas, eunuchos, impuberes, senes 31.

Incestus: quid, et quale peccatum 73. — an et quando ratione incestus denegari possit debitum coniugale 145.

Instinctus *sexualis*: quid 7. — quando oriatur ib. — quomodo primum manifestetur ib. — diversitas in utroque sexu ib. — quando in mulieribus evadat magis intensus ib. — causae internae et externae, quae illum adaugent 8. — causae illum minuentes vel tollentes 11.

Inversio *sexualis*: quid 9. — eius effectus ib., II. — imputabilitas 10.

Irrumatio: quid, et quale peccatum 58, V.

L

Lac *muliebre*: quando elaborari incipiat 2, VI.

Lactatio: an mater teneatur proprio lacte prolem alere 25. — an copula maritalis licita sit tempore lactationis 24.

Lectio: librorum obscoenorum quale peccatum 95. — librorum romanensium (*romanzi*) ib. in adnot.

Leucorrhea, quid 4, II.

Locutio *turpis*: quodnam peccatum 95.

M

Mamillae *muliebres*: quid 2, VI. — earum officium ib. — earum sensibilitas ib.

Manusturbatio: quid 54. — quotuplex peccatum 50. — an manusturbatio maris *specie* differat a manusturbatione foeminae 55. — quomodo peccet qui alium manusturbat, et qui manusturbationem ultro patitur 56. — an licita sit ad pruritum vel dolorem sedandum, ad consulendum sanitati, aut ad finiendam tentationem 57.

Masochismus: quid 9, I.

Matrix: v. *Uterus*.

Medulla *spinalis*: quid 7. — eius officium ib

Membrum *virile*: quid 1, I. — quibus partibus constet ib. — causa effectrix ipsius erectionis ib.

Menstrua: quid 5, II. — quo tempore accidant vel recurrant ib. — eorum finis ib. — utilitas ib. — effectus ib. — qua aetate cessent ib.

Mentula: v. *Membrum virile.*

Meretricium: quid 64.

Morbus *contagiosus*: an copulam coniugalem reddat illicitam 149.

Motus *carnales*: quid 13. — eorum pravitas 15.

Mulier: quando *excisa* dicatur 42.

N

Nemaspermata: quid 1, II. — eorum necessitas ad foecundationem ib. — quibus partibus constent ib. — an sint substantiae animatae ib.

Nubilitas: quando incipiat in mare 17. — in foemina ib.

O

Olphacere: secretiones vel mucos genitalium personae alterius sexus quodnam peccatum 93.

Onanismus: quid 164. — eius causae 165. — an mulier passive se habere possit relate ad virum onanistam 166. — eius consectaria 168. — quomodo confessario agendum sit cum poenitente onanista 169-170.

Operationes chirurgicae:

— *caesarea*: quid, et an licita 41. — an mater teneatur eam subire ib. — an obligatoria sit, matre demortua, ib. II.

— *porrensis*: quid, et an licita 42. — an aliquando obligatoria esse possit ib.

— *symphiseotomia*: quid, et an licita 43.

— *embryotomia*: quid, et an licita 45.

— *abortus obstetricus*: quid, et an licitus 46.

— *partus acceleratio*: quid, et an licita 47.

Oscula: circa partes inhonestas 87. — in partibus honestis ex affectu naturali vel ex iusta causa ib. — inter impuberes 91. — circa statuas, picturas, photographias, cadavera 92. — an patiens

aliena oscula teneatur ea impedire 100. — an *specie* differant inter se 102.

Ovaria *muliebria*: quid 2, I.

Ovulum *muliebre*: quid 2, I. — quibus partibus constet ib. — numerus ovulorum in foemina ib.

P

Partus: quid 22. — causae partus dolorum ib., b). — an licita partus acceleratio 47.

Penis: v. *Membrum virile.*

Perversio *sexualis:* quid 9. — imputabilitas 10.

Phtisis: an copulam coniugalem reddat illicitam 148.

Pollutio: quid 5. — quando physiologice accidat ib., I. — causae frequentis pollutionis ib. — si sponte suboriatur, an detur obligatio eam reprimendi 85, II. — an sponte incoepta promoveri vel compleri positive possit ib. IV. — an in pollutione sponte oborta expellere liceat reliquias seminis ib. — an ob involuntariam pollutionem omittenda sit s. communio ib. in adnot.

Praegnatio: quid 22. — quamdiu protrahatur ib. — eius effectus et consequentiae 22, a). — quomodo tractandae a confessario mulieres praegnantes ib.

Praeputium: quid 1, I.

Prostata: quid 1, I. — eius officium ib.

Puerperium: quid 23. — eius effectus et pericula ib. — an tempore puerperii coniuges licite coire possint ib.

R

Raptus: quid, et quale peccatum 77. — an differat a seductione ib.

S

Sacrilegium: quid 78. — personale ib. I. — locale ib. II. — reale ib. III. — utrum persona Deo sacra seipsam manusturbans *unum* an *duo* sacrilegia patret ib.

Sadismus: quid 9, I.

Semen *virile*: quid 1. II, adnot. 2. — ubinam conficiatur ib. — ubinam asservetur ib. — an corrumpi possit ib. — an in tarda aetate aptum sit ad generationem ib.

Seminatio *foeminea*: quid 4, II.

Sexuum *diversitas*: quomodo explicetur 22, c).

Symphiseotomia: quid, et an licita 43.

Syphilis: quid 148. — an copulam coniugalem reddat illicitam ib.

Sodomia: quid sit, et quale peccatum 58, IV. — perfecta, imperfecta ib. — an habeatur si desit concubitus ib. — an inter coniuges rationem habeat adulterii 142.

Spectacula *obscoena*: 98.

Sponsi: an commercium carnale, quod habeant cum solutis, rationem habeat adulterii 72. — an licite desiderare vel sibi complacere possint de copula futura 113.

Sterilitas: quid 30.

Struprum: quid, et quale peccatum 66. — an mulier vi oppressa possit passive se habere 67, b). — an possit semen expellere ib., c).

T

Tactus: circa partes inhonestas vel minus honestas 88. — exerciti mediante instrumento ib. — circa partes honestas ib. — circa pueros et puellas, ac brutorum genitalia ib. — super uberibus foeminarum ib. — inter impuberes 91. — circa statuas vel cadavera 92. — an patiens alienos tactus teneatur eos impedire 100. — an *specie* differant inter se 102. — si habuerint rationem medii ad finem, an accusandi sint in confessione ib., d).

Testiculi: quid 1, II. — eorum officium ib. — quando incipiant semen prolificum conficere ib. — an eorum ablatio impotentiam secumferat ib., et 31-32.

Tubae falloppianae: quid 2, II. — earum forma et officium ib.

U

Uretra: quid 1, I. — eius officium ib.

Uterus: quid 2, III. — eius forma et partes ib. — tempore praegnationis clausus manet 21. — an dari possit uterus duplex ib.

Uxor: an licite complere possit actum coniugalem, si vir ante illius complementum a copula se retraxerit 131. — an peccet, si in copula distillationem cohibeat vel impediat 135.

V

Vagina *muliebris*: quid 2, IV. — eius forma et officium ib.
Vasectomia: quid 29, b). — an inducat impotentiam perpetuam ib. — qui vasectomiam passi sunt quomodo peccare possint contra castitatem 115.
Verenda: an eorum commotio reprimenda sit, et quomodo 85, I.
Veretrum: v. *Membrum virile.*
Vidui: an licite gaudere vel sibi complacere possint de copula praeterita 114.
Vir: an licite complere possit actum coniugalem, si uxor ante illius complementum se retraxerit 132. — an peccet, si, peracta seminatione, se retrahat, non expectata uxoris distillatione 133.
Vulva: quid 2, V.

Z

Zoospermata: v. *Nemaspermata.*

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi, O. P., S. P. A. *Magister.*

IMPRIMATUR

Franciscus Faberi, Vicariatus Urbis *Adsessor.*

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BV4695.A4 C001
DE SEXTO ET NONO DECALOGI PRAECEPTO ET D
3 0311 00037 5027

1825

BV
4695
.A4 1825
AUTHOR Alberti, Iosepho
TITLE DE SEXTO ET NONO DECALOGI PRAECEPTO ET DE USU MATRIMONII
DATE DUE | BORROWER'S NAME

3 0311 00037 5027